



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Pars I. de Substantia vitæ spiritualis, & quindecim eius gradibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

munus bonæ conuersationis indulget, & spes obtinendi, quia donas domini indigno, & peccatori de tua toties experta bonitate, vsq; ad cœlestia speranda præsumere.] Hæc, quibusdā omissis, Bernardus. Qui demum religiosorum non sentit in se omnia illa beneficia, quæ primo volumine, non tam explanata, quàm breuiter numerata sunt, saltē ex parte inchoata, si non omninō completa: Hæc autem in principio commemorauimus, vt eorum recordatione ad gratitudinem, & ad vitam nostro statu dignam moneamur. Licet enim Dominus in regem Dauidem acriter vindicauerit, eò quòd inani gloria ductus, populum sibi subditum numerasset, tamen in Exodo hanc numerationem ad offerendam templo dimidium sicti manifestē sicti concessit. Quando tuleris (ait) summam filiorum Israël, iuxta numerum dabunt singuli pretiū pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicti iuxta mensuram templi.] Quo per mysterium eradit nos, diuina beneficia non esse ad fastū & inanem gloriam recensenda: sed ad soluendum dimidium sicti, quod decem obolis constat, id est, ad incitandū nos, vt seruemus legem diuinam, iure optimo esse numeranda. Sic enim ad memoriā reuocata non instant, sed deprimunt, non ad superbiam, & obliuionem nostri profectus, sed ad modestiam, & diligentiorē proficiendi curam inuitant.

Religiosus ergo, qui ea, quæ à nobis de religioso statu conscripta sunt, attentē considerauit, dicat videns se tantis donis onustum, tantis beneficiis decoratum, ingenti cordis affectu. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?] Et statim eius memoriæ occurret, vitam spirituales in gratiarum actionem esse Domino offerendam; quæ acceptione calicis salutaris, & diuini nominis inuocatione, & votorum redditione signatur. Quia vita hæc, ex illis tribus, quæ diximus, nimirum ex fuga mali, & assequutione boni, atque ex diuina familiaritate coalescit. Hæc itaque in tantorum beneficiorum aliqualem compensationem, debemus Domino retribuere. Primò acceptionē calicis salutaris, quæ peccatorum fletu, & omnium vitiorum mortificatione, perficitur. Nam cum religionem ingressi sumus, Domino interroganti; Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?] aut potius, quem iam vsque ad fœces ebibi: audacter ingessimus istā respōsionem: Possumus.] Et cum elapso tyrocinio ad professionis tempus peruenimus, carnem nostram timentem, & onus vitæ religiosæ detrectantem, verbis nostri Saluatoris increpauimus, dicentes: Calicem, quē dedit

A mihi pater, non vis, vt bibā illum?] Quod itaque tam intrepidē sumus aggressi, æquum est, vt ad finem vsque seruemus, & in dies magis, ac magis augeamus. Deinde inuocandum est nobis diuinum nomen, & orationis iugiter insistendum, non quidem vt tanta beneficia soluamus, sed vt animi grati, atq; humilis indicium aliquid commōstremus. Præclare enim dixit Chrysostomus: Nec si totum vitæ tēpus, oris obsequia occupent, laudes teneant, gratiarum actiones insistant, poteris compensare, quod debes. Qua in re danda nobis est opera, vt totis viribus deuotio mentis in diuina obsequia exerceatur, & laudum glorias os nostrū per omne tēpus frequentare cogatur, non quo in iustis debitum compensetur, sed vt nostræ deuotionis volūtas, his conatibus dignoscatur: vt quidquid fragilitas detrahit ad contemplantum, hoc deuotio conferat ad promerendum.] Talem vota reddenda sunt, id est, virtutes in actum proferendæ. Ad hoc enim in cœtū religiosum à Domino fuimus admissi, & tantis beneficiis affecti, vt in virtutis actiones incumbamus. Ego (inquit) elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.] Fructificate, & vos charissimi (ait Bernardus) quoniam in hoc positi estis, vt eatis, & fructum afferatis. Vnde eatis? Vtique à vobis ipsis, sicut scriptum est: A voluptatibus tuis auertere.] Si ergo imus, cum à nobis discedimus, & affectus, volūtatesque nostras proterimus, & conculcamus; fructum afferimus, cum bonorum operum manipulos Domino retribuimus. Hic est fructus, qui à peccatoribus iustos discernit. Illi enim (vt notauit Ambrosius) folia eligunt, id est, vanas excusationes, quibus peccata sua contegant, & delicta cooperiant: Isti verò fructus accipiunt, illos nimirum, quorum Paulus meminit, dicens: Fructus autem spiritus, Charitas, gaudium, pax. Hos fructus afferamus coram omni populo eius, vt tam domestici, quàm externi videntes opera nostra bona, glorificent patrem nostrum, qui in cœlis est.] Meritò autem calicis, & votorum redditioni, inuocatio diuini nominis interiecta est, qua opus orationis exprimitur, quia hæc est, quæ recessui à malo, & sequela boni vires subministrat, & idē in medio ponitur, vt vtrumque extremum, ex illa robur constantiamque participet. Qui hæc tria Domino in sacrificiū laudis obtulerit, non ingratus, & beneficiorum oblitus reputabitur: & vitam spirituales tenebit, cuius gratia sæculum dereliquit, & in statum religiosum peruenit. Quam vitam iam explicare aggredimur, vt qui diuina beneficia & agnouimus, & recepimus, fructum, quem ex eis à nobis exigit, & cognoscamus, & opere tribuamus.

2. Reg.
24. 2.Exod. 30.
12.Psal. 115.
12. 13.Matth. 20.
22.Ioan. 18.
11.Chryf. ho.
2. ex con
fusi in
Genes.

Ioan. 15.

Ber. ser. de
sencto Be-
nedicto.
Eccle. 18.
30.Amb. lib.
de para-
diso. c. 13.Galat. 5.
22.

P A R S P R I M A

HVIUS LIBRI, DE SVBSTANTIA VITÆ
spiritualis, & quindecim eius gradibus.



SPIRITVALIS vita quædā habet omnibus iustis communia: quædam verò his, ut illis specialia, iuxta diuersum viuendi modum, quem ad Dei obsequium, & æternam salutem consequendam assumunt. Illa sunt, quòd omnes iusti gratia eos viuificante, & multiplici virtute infusa ditantur, quòd quibusdam operibus bonis, & spiritualis vitæ propriis intendunt, quòd in aliquo gradu spiritualis profectus, aut

infim.

infimo, aut medio, aut supremo consistunt. Hæc verò quòd potius externas virtutis actiones, quàm internas ad contemplationem pertinentes sequantur, aut è contra potius istas, quàm illas amplectantur, aut ex æquo externis actionibus, & internis mentis exercitationibus occupentur. In hac prima huius libri parte communia, in sequentibus particularia explicabimus, ut lector quid proprium ac peculiare sive vitæ sit, attentè consideret, & secundum illud sanctorum exercitacionum suarum rationem instituat.

Vitam spiritualem, prout in habitu consistit, esse gratiam facientem nos Deo gratos.

CAPVT I.

Natura comparatum est, vt ex corporalibus ad spiritualia, & ex manifestis ad occultorum cognitionem transeamus. Vnde cum naturalis vita clarior nobis, & etidientior sit: ipsa spiritualis vitæ lucem ac noticiam parat. Vita autem naturalis, si philosophos consulamus, nihil aliud est, quàm natura rei potens seipsam mouere, in actiue, ac perfectionem redigere. Id quod nullo negotio exemplis intelligitur. In plâis vita est illud, quo primò succum, siue alimentū attrahūt, retinent, in vniuersa; partes distribuunt, quo seipsas alunt, augēt, & in debitâ prouehunt magnitudinem. In brutis vita est, qua primò sentiunt, & huc illucque discurrūt. hominibus vita est, qua primò ratione, & in angelis, qua primò intelligentia, liberòque vtuntur arbitrio. Itaque vita dicitur illud primū initium operationum vitalium, quo mediis facultatibus, ac viribus suis vitales actiones exercet, & quo res viuens seipsam in debitam perfectionem adducit. Quia verò vita hæc propter actiones vitales est viuens attributa, in hunc enim finem arbores, & plantæ vegetatricem vitam perceperunt, vt se alant, ac nutriāt, & animalia sentientem, vt sentiāt, & se loco moueant; hominēque intelligēt, vt intelligāt, & proprio arbitratu se gubernēt: Hinc ortum habuit, vt actiones istæ, non solum vitales, sed etiã vitæ nūcupentur, & has duas vitæ significationes Hieronymus annotauit, illud Iob interpretans: Vitæ, & misericordiã tribuisti mihi.] Ipsa anima (inquit) est vita hic appellata, non vita anima, quia possunt, & actus animæ vitæ nūcupari.] Hæc ille. Ideoque hic dicitur habere vitam studiosam, ille verò voluptuosam; quia alter studiosis actionibus, alter verò voluptatibus, ac deliciis insistit.

Hæc doctrina ex philosophia petita, nos in vitæ spiritualis cognitionē inferat. Quemadmodū enim vita hominis, quam animam rationis participem nūcupamus (hæc nãque, vt nobis familiarior, huius quod quærimus, præstabit notitiã) est illa interior, spiritualisque substantia, qua homo se spiritualiter, & corporaliter mouet, ac perficit, quæ illi tribuit, vt homo sit, & est facultatum, quibus operatur, origo, & mediis illis, ipsarum operationū principium; ita vita spiritualis, est aliquid intra nos manens, quod & nos spirituales efficiat, & fons sit facultatū spiritualiū, nec nõ & actionū spiritualiū exordiū. Hoc autem si diligentius quid sit inquiratur, inueniemus, nihil aliud esse, quàm illud augustissimum donum diuinitus attributū, quod gratiã nūcupamus. Hoc autem donum gratiã vocatur, quoniam gratis, & liberaliter nobis datur. Quare gratiã (inquit Augustinus) & sibi ipsi respondet: Quia gratis datur. Quare

A gratis datur? Quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te præcenerunt. Est autem gratiã, affectio manens, seu habitus quidam supernaturalis mentibus iustorum infusus per Spiritum sanctum, qui datus est illis. Gratiã est, quæ ipsam animæ naturam perficiens, eam facit veluti deiferam, participemque & consortem diuinæ naturæ. Gratiã est, quæ diuidit inter filios Dei, & filios diaboli, quæ Deum placat, & homines suo creatori cõciliat. Hæc est, cuius præsidio iustificamur, & Deo grati, accepti, ac amici reddimur. Hæc est, quæ operit multitudinem peccatorum, non quidem ea, dum manent, tegendo: sed ea, vt non maneat destruendo. Hæc est semen æternæ vitæ, sine qua nulli in celestem patriam patet ingressus. Est decor, & pulchritudo, qua anima Deo apparet amabilis. Est lumen diuinitus inditum, & mentem reddens illustrem, & splendidam, de quo Paulus: Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.] Est vestis illa nuptialis hominem eximio honore dignum efficiens, vt in summi regis conuiuium admittatur. Est fons aquæ salientis in vitam æternam, vnde Paulus: Gratiã Dei vitæ æternæ.] Quia opera à gratiã emanantia, illius vitæ, quam speramus, sunt merita. Est, quæ nos efficit membra Christi: Quare, & à Christo capite, & per Christi merita datur, & vt ei adheramus, benignè confertur. Est denique vita nostra spiritualis, quia nos ex peccatoribus cõuertit in sanctos: ex defunctis, viuentes facit; & in spiritualiter mortuis manere non potest.

B Hanc esse animæ spirituale vitæ sanctus Ephrem magnificis verbis exaggerat Enitere (ait) vt diuinam gratiam iugiter in mente tua habeas, ne illudaris. Cole illam, vt custodem tuam, ne iniuria affecta relinquat te. Venerare illam, vt magistratam tuam inuisibilem, vt ne illa absente verferis in tenebris: sine illa noli certamen inire, ne turpiter intereas. Sine comitatu illius, virtutis semitam ne ingrediaris, nam Draco rugiens insidias tibi struet. Absque consilio illius ne tractes, quæ ad animam pertinent: multi enim sunt, qui specie recti, mentem deprauant. Illa tibi nauiganti, nisi affuerit, vani labores tui erunt. Hæc nisi aduersus inimicos tuos inuctus fueris, multis frustra susceptis laboribus, turpiter victus lugebis. Illam nisi sociam tibi habueris, dolos serpentis ignorabis. Cum promptitudine igitur animi morem ipsi gerito, & cuncta tibi perspicua reddet. Studiosè præcepta illius imbibet, & citò absque vlla sollicitudine eris. Illam tibi familiarem, atque domesticam facito, & consuetudinem eius honorificam experieris, nec te illudet. Sororem tibi assume illam (vt monet Scriptura) & semitam patris ostendet tibi, filium altissimi efficiet te, si illam tibi sororem adiunxeris. Instar matris vbera præbebit tibi, & velut infantem ab insidiatoribus custodiet te. Tamquam paruulum incautum gubernabit te, & in virum perfectum te formabit. Amori eius, atque indulgentiæ fidem adhibe, ea enim omnis creaturæ principium est. Non dum eius erga te amoris vim cernis, quoniam, &

1. Petr. 4. 8.

Colos. 1. 12.

Rom. 6. 23.

Ephrem de diuina gratiã.

Hieron. in Iob. 10. 12.

Aug. in Psal. 30. in illud. 5. in inuitia tua redimem.

lactantes

lactantes pueruli, matris erga se ignorant sollicitudinem. Patiens esto, & illius te submitte consilio, atque ita eius fructus, vtilitatemque percipies. Nesciunt, quomodo nutriantur, & infantes; at ubi paulatim crescendo adoleuerint, virique euaserint, naturam vim in se admirantur. Sic & tu, si in diuina gratia perstiteris, ad perfectionem peruenies.] Hæc omnia deuotissimus iste Pater. Et tam insignia sanè elogia, quibus gratia naturæ comparatur, cum matre confertur, vnicum præsidium mentis, sapientissima cõsiliatrix & filiorum Dei effectrix dicitur, non possunt nisi in illud donum, quod ipsa spiritalis vita animæ sit, vsquequaque quadrare.

Et ergo gratia vita animæ, vt enim vita naturalis, generatione naturali; ita vita spiritalis, generatione spiritali conquiritur. Hæc autem generatio est sacramentum baptismatis, quod in paruulis peccatum originale de medio tollens, & in adultis peccata propriis actibus contracta detergens, & gratiam animæ infundens, eam ex mortua viuentem, ex inimica Dei amicam, & ex digna damnationis perpetuæ, hæredem reddit regni cœlestis. Ista ergo præstante baptismate gratiæ ministerio, non dubium quin ipsa gratia sit, veluti anima animæ, vita vitæ, quæ vitam naturalem effert in statum cœlestem, & spiritualem. Quod Ioannes Gerson nobilis auctor in Christi baptisate putat designatum. Venit enim ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo, tanquam vitam gratiæ, non in seipso, sed in membris Ecclesiæ recepturus, qui ab ipsa conceptionis initio infinitam, & non ad mensuram datam habuerat; & postea ascendit de aqua, meritorum nostrorum motum, & bonorum operum ascensionem significans. Ad hanc etiam vitam illud Pauli accommodat, quod Atheniensibus annunciauit. In ipso scilicet Deo, viuimus, mouemur, & sumus.] Viuimus gratia; mouemur meritis: sumus mansione, perseverantia, stabilitate.

Viuimus gratia, quoniam sicut anima viuificat corpus, & ipsum rectum tenet, & aptum efficit præstandis actionibus vitalibus: ita gratia viuificat animam, ipsamque à morte peccati ad rectitudinem reuocat, & actionum, quibus præmium æternum promeremur, reddit participem. Formauit Dominus Deus hominem, secundum naturam, de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.] Formauit etiam eum supra naturam secundum spiritum filij sui, & spirauit in animam eius spiritam gratiæ, & factus est homo in spiritum viuificantem. In illum scilicet spiritum, & in illam gratiæ vitam, quæ, quoad se pertinet, nunquam corruptionem sentit, nunquam mortem expectat, nunquam suum domicilium, nimirum animam deserit, nisi ab ipsa anima, per peccatum decepta, imprudenter deleratur. Ex hac autem gratiæ vita, oritur, vt moueamur meritis, & actionum bonatum gressus nostri dirigantur in cœlum. Nam si corpus vitam habens, ordinatis motibus tendit in terminum, in quo quiescit, anima gratiam habens, sanctis operibus tendit in finem beatitudinis, in quo quietem veram, & nulli perturbationi obnoxiam participat. Hoc enim de his gratia viuentibus canit sanctus Dauid, dicens: Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.] His quidem virtutibus, quas gratia secum affert, ibimus in illa virtutem æternæ quietis, quam nulli noui iter subsequatur, quæ nullo nouo motu interpelletur. Ab his virtutibus (inquit Augustinus) mus in illam virtutem. Et quæ est illa virtus, nisi solius contemplationis Dei? Necessaria ibi non est

A ista prudentia (quoad actiones intellige) ubi nulla mala occurrunt, quæ vitemus. Non ista iustitia, ubi nulla erit cuiusquam indigentia, cui subuenire debeamus. Non ista temperantia, ubi nulla erit libido refrænanda. Non ista fortitudo, ubi nulla erunt mala toleranda. Ergo ab his virtutibus huius actionis, ibimus in virtutem illius contemplationis, quæ contemplerur Deum, sicut scriptum est: Mane astabo tibi, & contemplabor.] Virtutum itaque merita sunt gressus nostri, quibus à mortalitate discendimus, & ad immortalitatem festinamus. Et denique stamus perseverantia, & stabilitate. Qui enim in gratia perstat, & in bonorum operum exercitatione persistit, à Domino esse supernaturale, & diuinum accipit, quo à nihilo peccati emergens, cum viuentibus computetur, & inter eos, qui sunt, vita supernaturali subsistat. Itaque, qui se existimat stare, videat ne cadat.] Non cadet autem, si spiritum vitæ, qui in gratia consistit, bonorum operum perseverantia seruauerit. Quemadmodum enim duratio naturalis vitæ non est, nisi ipsa vita durans, & seipsam beneficio creatoris in esse, & in actione cõseruans, ita perseverantia spiritalis vitæ, est ipsa gratia, qua viuimus, semper permanens, & in bonis actionibus perseverans.

Hæc vita est, ratione cuius Spiritum sanctum animæ habitatorè possidemus, & Spiritus Christi possessores constituimur. Quod Paulus perspicuis verbis edocuit. Si quis autem Spiritum Christi nõ habet, hic non est eius,] hoc est, non habet vitam, & spiritum eius, licet numero, ob fidem mortuam quam habet, ad cætum fidelium, & ad membra Christi mortua, pertineat. Quare optime dixit Augustinus. Non potest viuere corpus Christi, nisi de Spiritu Christi.] Et post pauca: Qui vult viuere, habet ubi viuat, habet vnde viuat. Accedat, credat, & sufficit hoc? nequaquam, sed incorporetur, vt viuificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non sit putre membrum, quod resecari mereatur, non sit distortum, de quo erubescatur: sit pulchrum, sit aptum, sit sanum, hæreat corpori, viuat Deo de Deo.] Quia ergo Deus per hoc præstantissimum donum in mentibus iustorum commoratur, tamquam accola in domo, quam inhabitat; tamquam nauta in nauì, quam gubernat, & à tyribus, & scopolis peccatorum liberat; tamquam olitor in orto, quem diligenter expurgat, & floribus virtutum exornat: sicut Deus in templo sancto suo, in quo sincerissime adoratur, & colitur: Idè ipse à patribus vita spiritalis animæ nuncupatur: Vnde idem pater Augustinus sic ait: Dicam audacter, fratres, sed tamen verum: Dux vitæ sunt, vna corporis, altera animæ: sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus: Quomodo si anima deserat, moritur corpus, sic anima moritur, si deserat Deus. Ipsa est enim gratia eius, vt resuscitet, & sit nobiscum.] Et ad idem Bernardus. Iam verò (inquit) vera anima vita Deus est, & inter hæc quoque separat malum, sed malum animæ, quod nõ est aliud, quam peccatum.] Nõ itaque Deus vita spiritalis animæ dicitur, quasi nulli creato dono per seipsum mentem viuificet, eique veluti forma substantialis adhæreat, hoc enim repugnat diuina natura: sed quia per gratiam cordibus iustorum infusam, eos morte peccati eripit, & in vitam spiritualem, quæ est participatio quedam vitæ diuinæ, non minus mirabiliter quam misericorditer transfert. Est vita animæ, non tamquam forma, sed tamquam effector: Est vita, quia auctor est vitæ. Sic etiam Christus vita nostra à Paulo vocatur. Cum Christus (inquit) apparuerit vita

Psal. 5. 5.

I. Cor. 10. 12.

Rom. 8. 9.

Aug. tra. 2. 6. in 10.

Augustin. Psal. 70.

Bern. in Psal. Qui habitas ser. 10.

Colos. 3.

vestra,

Gr. tra. de vita spiritali, lect. 1.

At. 17. 22.

Gen. 2. 7.

Psal. 83. 8.

Aug. ad euandem psal.

Ambros.
ibidem.

vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Vita nostra Christus est (ait Ambrosius) quia legimus in actis Apostolorum: Hunc esse vitæ auctore. Sic ille. Est ergo gratia, vita spiritualis animæ, sine qua, licet naturaliter uiuat, se ipsa, (est enim secundum suam naturam vita corporis, quæ nunquam interit, licet à corpore separetur) tamen Deo mortua est, ac cælestibus gaudiis defuncta, quia gratiam amittens Dei inimica, & iuris ad regnum cælestis exers constituitur.

De discrimine vitæ naturalis, &
spiritualis.

CAPVT II.



MÆ autem spiritualis vita, in multis est naturali vitæ similis, in aliis autem valde dissimilis. Est quidem similis, nam sicut vita naturalis dat corpori, vt sit, & uiuat secundum naturam, ita vita gratiæ dat animæ, vt sit, & uiuat supra naturam. Illa corpus limitat, & ad propriam (vt aiunt) speciem cuiusdam uiuentis restringit, hæc animam circumscribit, ne diuina mandata transiliat, & à debita fide sponsæ deflectat. Illa corpus venuliat, & motum, ac vires subministrat, hæc affectus in res diuinas, & gressus tribuit, vt contendamus in cælum, & intus spiritum nostrum exornat. Illa radix est facultatum, quibus operamur, vt intelligentiæ, qua cognoscimus, & voluntatis, qua volumus; Hæc origo virtutum, vt humilitatis, qua nos ipsos deicimus, paupertatis, qua diuitias mundi contemnimus, charitatis, qua Deum proximūque diligimus. Illa est principium operationum vitalium, nam ministerio facultatum suarum videt in oculo, audit in auro, & irascitur in corde: hæc est meritum initium, quia virtutum ab ea manantium præsidio perfert iniurias, ministrat infirmis, & desideris se infert cælestibus choris. Illa denique, deficiente debita sanitate, & humorum temperie, à membrorum necessaria integritate discedit: hæc, si absit fidelitas, qua Dei mandata obseruare debemus, etiā amittitur. Vnde Bernardus. Tepe scimus processu temporis à feruore conuersationis nostræ, paulatim restitit charitas, abundat iniquitas, vt consumemur carne, qui spiritu ceperamus. Inde enim est, vt minus ea sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, inde uoti pariter, & ingrati. Timorē Domini relinquimus, religiosam omittimus solitudinē, verbosi, curiosi facti, etiā detractores, & murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores disciplinæ, quoties sine nota id licet, quasi verò confestim sit etiam sine noxa. Quid ergo tantis repulsam obstaculis gratiam nobis deesse miramur? Si ergo tanta sollicitudine seruamus vitam mortalem, post non multos annos finem habituram, quanta sollicitudine custodire deberemus gratiæ vitam, si volumus, per totam æternitatem duraturam? Si tam eximio amore complectimur vitam certè non admodum pretiosam, nisi quatenus vitæ spirituali subseruit, quanto maiori amore amplectenda esset ipsa spiritualis vita, cuius gratia naturalis diligitur? spiritualis, inquam, vita, quæ iure vniuersis rebus naturalibus imperat? Si opes, si delicias, si honorem ipsum contemnimus, ne vitam carnalem, & in multis rebus, nobis, bestiisque communem amittamus: (nam pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua,) quid non contem-

Bern. de
Annu-
tias. Domi-
ni serm. 3.

Job. 2. 5.

A dendum esset, ne spiritualem vitam nobis, & cælestibus spiritibus propriam cum discrimine æternæ vitæ perdamus? Illam, si fortè aegritudine graui impugnetur, molestissimis remediis suffultis, & ista peccatis, ac tentationibus impetitam, oratione, & occasionum fuga, & sanctis exercitationibus sustentare grauatis? O cæcitas, ô absurditas, ô stultitia amarissimis lacrymis deploranda! Si ergo vtriusque vitæ par est periculum, si incurrendi mortem corporis, & animæ æquum instat discrimen, æqua saltem vtriusque seruandæ te cura sollicitet. Quamuis maximæ imprudentiæ sit, non maiorem curam seruandæ vitæ animæ dare, quam vitæ corporis custodiendæ adhibere. Si enim vir prudens, & diligens, maiori diligentia custodit aurum, quàm plumbum, aut rem aliam minùs pretiosam, maiori sollicitudine & cura diligenda & custodienda est vita animæ, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tamquam lurum æstimabitur argentum in conspectu illius. Vita verò corporis lutum est, seu vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Hic itaque sit similitudinis fructus, quam inter vitam naturalem, & spiritualem aspeximus, vt pretiosorem impensius amemus, & diligentius meliorem custodiamus.

B In his, quæ diximus, vita naturalis & spiritualis sunt similes, in aliis autem est inter illas dissimilitudo non parua. Vita namque naturalis ex debito naturæ datur, vita gratiæ dono Dei ac beneficio conceditur. Illa inter limites naturæ se continet, hæc supernaturalis est, & ad ordinem diuinum spectat. Illa facit nos humanos, & terrestres, hæc reddit cælestes, & diuinos. Primus enim homo Adam, qui vitam naturæ nobis impertit, de terra terrenus est, secundus homo Christus, qui gratiæ vitam communicat, de cælo cælestis. Vnde, sicut ab illo portamus imaginem terreni, ita & ab isto portamus imaginem cælestis. Illa actibus propriis non crescit, nec, si sensuum operationes multiplices, aut perfectior in se, aut diuturnior euadit: hæc actionibus virtutum augetur, & maior ac perfectior efficitur. O quantum homines viderent, & audirent, si vitam corporis possent dilatare, videndo, & tamen non curant sanctis operibus inherere, cum tamen illis possint vitam animæ propagare. Illa licet summa diligentia protrahatur, semper quotidianis, imò momentaneis diminutionibus exhauritur, & breuior, ac contractior efficitur, hæc cura diuinorum mandatorum propagatur, & vt semper maneat, vsque ad perfectionem producit. Iustorum enim semita, id est, vita quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. In iustorum namque animis (ait Gregorius) bonum desiderium, atque intellectus lucis intimæ, iam pars diei est, sed vsque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad regna cælestia perducti, in ea luce, quam desiderant, iam minus aliquid non habebunt. Illa mors quædam est: Nam quæ mors amarior illa vita, quæ semper deficit, continuo tabescit, & ad non esse tendit, & mille nos calamitatibus ferit, mille animas nostras periculis impetit? Denique (inquit Augustinus) quis numerare poterit præsentis vitæ molestias? Esurire, sitire, algere, calere, lassari, & innumerabilia ex ipsa consuetudine nobis domestica sunt; tamen initium dolorum hæc. Sed vt altius reuoluamus, quæ intra nos sunt, cupere, amare, odire, fornicari, adulterari, occidere, vel occidi, rapere, & furari, nonne inimicæ passiones nobis sunt? Tamen

Sapient. 7
o.
In eob. 4.
14.

1. Corint.
15. 47.

Prou. 4.
18.

Greg. ho.
5 in Eze-
chiel.

Aug. de vi-
sta. infirm.
c. 6. tom.
9.

quis immunis, quis liber est ab his omnibus.] Vita ergo, quæ nos tantis miseris subiicit, & non proferendo tantum, sed volando, ad mortem tendit, dicatur mors. At hæc vita gratiæ, vera vita est, quæ si per nos non stat, semper crescit, semper durat, & initiu est vitæ numquam peritura, quæ nos ad bonas actiones vocat, ad virtutem allicit, ad diuinam familiaritatem instigat, ad quærendas veras diuitias, & sempiternos thesauros inuitat. Cuius causa vita naturalis amanda est, quod si eam aut destruat, aut extenuet, fugienda. Ideo enim martyres, non quidem imprudenter, sed sapienter, vitam corporis profuderunt, & terribiles passionibus sustinuerunt, ne gratiæ vitam dilapidarent. Idem perfecti viri prius parati sunt mori, quam ex professo leue peccatum admittere, ne gratiam offendant, & aliqua macula inficiant. Idem Susanna ab impiis illis accusata ad peccatum incitata, & non sine interminatione ingentis infamiæ, ita respondit: Angustiæ sunt mihi vndique, si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini,] vt mortem animæ effugeret, & vitam gratiæ conferuaret, nec corporis mortem, neque infamiam, ipsa mortē terribiliorem, exhorruit.

Daniel. 13. 25.

Hanc vitam vitæque veram, & super omnes diuitias amabilem, illi morti vitali præferamus, & omnibus votis conferuare, & promouere cupiamus. Non solum autem cupiamus, sed humiliter de rebus nostris sentientes, & nobis ipsis diffidentes, diuino auxilio fulti, ac sanctis operibus, conferuamus. Sola namque desideria vitam gratiæ custodire non possunt, nisi bona opera desideria accedant. Optime enim dixit Ephraim: noui permultos optare, se gratiæ filios esse, sed quid illis prodest velle, nisi accedant & facta? Multi etiam per fidem gratiæ, filij sūt appellati, sed non multi, propter negligentiā, illa poiuentur. Non omnes postquam viri euaserint, suas matres reuerētur, itidemque gratia, licet multis enutritur, à paucis tamē honoratur. Pariendi dolores, laboreque educationis, non omnes intelligunt: ita & pauci sunt inter nos qui bene ad gratiæ sint munus affecti.] Diuinus itaque fauor ad hanc vitam & tenendam & augendam sic nobis aderit, si gratiam vt matrem reuereamur, vt principium nostræ salutis in magno pretio habeamus, & si eam non segnem, & otiosam, sed bonis operibus infundantem habere curamus.

Ephraim de diuina gratia.

Vita tandem naturalis (vt postremum discrimen subiiciamus) an corpore insit, certissime nobis constat. Quis enim viuens non experitur se viuere? Certè, qui de hoc dubitat, insanus est, nam ipsa sua dubitatio, quæ actio vitæ est, signum est euidentis, quoniam ille qui dubitat, viuet, nam si non viueret, dubitare non posset. Et, si (vt dixit Philosophus) aperta negare, imprudentia est, de vita alicuius viuentis dubitare, quam tot signa, tot motus, tot actiones demonstrant, magna stultitia est. Vita autem gratiæ, an animæ insit, non est similiter nobis compertum. Licet enim possimus, gratiam in nobis esse, nonnullis coniecturis aduertere, non tamen, aut scientiæ euidentia, aut fidei diuinæ certitudine agnoscere. Id quidem scientia non assequitur, quæ rem, aut per causam, aut per effectus venatur, causa autem vitæ gratiæ, diuina voluntas est, ad quam cognoscendam nulla ratio naturalis ascendit. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Quasi diceret Paulus, neminem hanc

3. Eschie. 6. 3.

Rom. 11. 34.

A) voluntatem posse cognoscere, nisi Deus ipse illi sensu suæ mentis aperiat. Effectus verò gratiæ adeò occulti sunt, & absconditi, vt eos neque sensus percipiat, nec cogitatio apprehendat, nec ipse intellectus, an à gratia manet, quæ nos Deo gratos facit, certò cognoscat. Neque fides diuina ad credendum nos gratiam & amicitiam Dei habere, citra specialem reuelationem mouet. Quoniam licet fides asserat, hominem, verbi gratia, verè, & vt necessarium est, detestantem peccatum, diuinam gratiam adipisci, tamen opinio, & mortalis existimatio falsitati ac deceptioni subiecta proficetur, me, aut alium quempiam hanc peccati sufficientem detestationem promeruisse. Ex hac autem opinione, non elicitur certa nostræ gratiæ cognitio: sed probabilis, ac verisimilis quædam existimatio. Meritò ergo Tridentina synodus anathema dicit hæreticis, asserentibus nos (diuina, ac speciali reuelatione seclusa) certò, & ex fide, credere, gratiæ vitæ & Dei amicitiam accepisse. Quam sanctorum patrum verissimam, certissimamque sententiam, certè Scriptura diuina non siluit. Salomon enim in Proverbiis, ait. Quis potest dicere, Mundum esse cor meum, purus sum à peccato? Ac si dixisset, nullus id potest dicere, & sine vlla hæsitacione affirmare. Quam sententiam euoluens venerabilis Beda, in hunc modum scribit. Non (ait) quis potest mundum habere, & purus esse à peccato? Sed quis potest dicere (inquit) mundum esse cor meum, purus sum à peccato? Quia sunt, qui largiente diuina gratia possunt iuxta humanum modum, & cordis & operis munditiam habere. Vnde est illud Dominicum. Beati mundo corde.] Nec tamen se ipsum quisquam mundum credat corde, & immunem esse à peccato absque temeritate pronunciet.] Et idem Salomon alio loco, ait: Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, vtrum amore, aut odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.] Mundiciam, & mentis puritatem astruit, sed certam puritatis cognitionem negat: Quam quidem possumus quibusdam coniecturis venari, non tamen in fallibili notione apprehendere, (Deo minime reuelante) quoniam ex multis, quibus aliquid falsum subesse potest, pura ex eo quod bene sacramentum receperim, aut sufficienter me disposuerim, aut ex aliis similibus, hæc gratiæ cognitio dependet. Rursus Ecclesiasticus: De propitiato peccato, noli esse sine metu. Quia videlicet, an sit propitiatum, tibi que dimissum, ignoras. Et simplex, ac rectus Iob. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentiam ostendero, prauum me comprobabit, etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.] Quem locum ita interpretatur Gregorius. Sæpe dum nosmetipsos plus iusto discutimus, de ipso discretionis studio indiscretius erramus, & metis nostræ acies, quò plus cernere nititur, obscuratur. Quia & qui importunè solis radios aspicit, tenebre scit, & inde nihil videre compellitur, vnde videre amplius conatur. Quia igitur ab inquisitione nostra torpentes nos omnino nescimus, aut si subtili nos discussione requirimus, plerumque inter vitia virtutesque caligamus, rectè nunc dicitur. Etiã si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.] Ac si aperte diceretur, Conditoris contra me iudicia qua temeritate redarguo, qui ipsum me ex infirmitatis caligine ignoro? Hæc ergo vita spiritualis animæ, nõ est nobis pariter ac vita naturalis comperta, cuius notionem tot impedimenta, minus certam faciunt, tot dubitationes obscurant. Et quisque iustus potest sibi precationem Davidis asumere: Delicta quis in-

Conc. Trident. sess. 6. c. 9. ca. no. 14. c. 15.

Prou. 20. 9.

Beda in hunc locum.

Mar. 3. 8.

Eccles. 9. 1.

Eccles. 5. 5.

Iob. 9. 20.

Greg. 8. mor. c. 13.

telligi

Psal. 18. 13.

telligit: Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo, quoniam ipsa, quae nescimus, nos saepe maculant, nisi Deus, qui occultorum est conditor, quae sibi displicent, occulta detergat.

De sex iudiciis vitae spiritualis.

CAPVT III



ICET hoc ita sit, de gratia, ac vita spirituali anima, nos omnino certos esse non posse, ea nimirum certitudine, quae aut euidens sit, vt scientia, vel vt fides diuinitus indita nullam falsitatem admittat: Non tamen sine testimoniis reliquit amicos suos Deus, quibus declararet erga illos diuitias misericordiae suae, ipsosque vitam spirituales habere sufficienter ostenderet. Sicut enim mulier illa à Ioane in Apocalypsi conspecta, quae sine dubio representabat Ecclesiam, erat amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim: Ita gratia huius Ecclesiae vita, & vere regina, origoque virtutum, non solum est diuino quodam splendore circumdata, & inconstantiae humani cordis praelata, sed etiam duodecim coronata signis tamquam duodecim fulgentissimis gemmis, quorum lumine se homini ostentat, & an intus lateat in animo probabili quadam attestacione commostrat. Licet ergo nobis pro consolacione iustorum, & in gratiam huius praestantissimae vitae, qua viuimus, si forte viuimus, & qua viuunt, quotquot iusti viuunt, tantisper immorari, & harum gemmarum ostendere pulchritudinem, siue horum signorum vim, & naturam exponere: ex quibus, an quis Deo viuat, an vero mortuus sit, possit capere coniecturam. Nec vero à proposito egredimur, dum ista iudicia declaramus, quoniam, & gratia sunt, ac vitae spiritualis effectus, & magnopere roborant nos, vt hoc praestantissimum donum, quod nobis inesse ex huiusmodi iudiciis coiectamur, toto conatu atque diligentia seruemus. Meditabamur sane, gratiam, quae nos Deo gratos facit, Rationali summi sacerdotis fuisse signatam, neque hoc omnino dissidet à patrum sententia. Si enim rationale (vt putat Gregorius) munditiam cogitationum significat, quid prohibet ipsam munditiam, ac totius animae nostrae puritatem in illo intelligere, quae minime ab ipsa gratia, & animae vita feceruntur. Optima quidem gratiae, & vitae spiritualis imago. Nam rationale, licet paruum, ceteris tamen (vt inquit Hieronymus) sacratius vestimentum, duplex erat, in mensuram palmi, ex auro & quatuor coloribus, hyacinto, & purpura, coeoque bis tincto, & bysso retorta cõtextum, atque à superhumerali dependens, pectus sacerdotis, sedem scilicet cordis, operiebat, & exornabat. Nomina doctrinae, & veritatis (vt inquit Augustinus, & Hugo Victorinus) in ipsa textura habebat descripta, & duodecim pretiosissimis gemmis, quatuor ordinibus dispositis ornabatur, quae & duodecim Patriarcharum nomina praeferebant, & eminus positis rationalis pulchritudinem ostendebant: Per quatuor annulos, quos habebat in angulis, superhumerali vitia hyacintina copulabatur, & ne diffunderet iungebatur.

O pulcherrima gratiae imago, o praclarissima vitae spiritualis significatio! Gratia namque vestis sacerdotalis est, illorum nimirum sacerdotum, ad quos loquebatur Petrus, dicens: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Quibus enim istae laudes conueniunt, nisi iustis,

A & amicis Dei. Hi electi sunt, quia ad aeternam hereditatem vocati, reges, & sacerdotes sunt, qui propriis affectibus imperant, & Deo se totos in odorem suauitatis offerunt. Sancti sunt, quoniam mundi, & immaculati per gratiam, & populus acquisitionis, quia magno sanguinis Christi pretio redempti. Gratia quoque modica est, quod ad externam speciem attinet, sed magna virtute. Nam sicut granum sinapis, minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creuerit, maius est omnibus oleis: Ita hoc donum praestantissimum, paruulum est, id est, amore humilitatis exiguum, sed cum crescit, & se in virtutes, ac bonas actiones dilatat, omnibus donis naturalibus inuenitur superius. Duplex etiam est, quia beneficio virtutum ab ipsa permanantium, internas animae vires moderatur, & corporis sensus, actionesque disponit. In mensuram palmi distenditur, quod (vt notat Beda) distentione manus, & digitorum conficitur, quia ad sui conuersationem, & augmentum, non animum oscitantem, & tepiditate contractum, sed conatum infatigabilem, ac diligentiam pie intentionis requirit. Quare autem ex auro, & quatuor coloribus textitur? Nisi quia auri charitatis, ac quatuor virtutum moralium infusarum, prudentiae, iustitiae, fortitudinis, & temperantiae, est ipsa principium! Et quam ob causam à superhumerali pendet, quod bonorum operum laborem designat, nisi quia bonis operibus conseruatur, & sine vi eorum periculo casus exponitur? Sedem cordis, id est, vitae naturalis domicilium tegit, quoniam haec vita spiritualis, vitam ipsam naturalem, scilicet animam nostram informat. Verum, & Thymim, hoc est, doctrina, & veritate depingitur, quia diuini luminis claritate, & omnium virtutum perfectione decoratur. In hoc igitur mystico rationali, quod animam nostram exornat, & idoneam reddit, vt ante diuinum conspectum appareat, duodecim sunt gemmae pretiosae, id est, duodecim signa probabilitatis, quibus mens nostra, an grata sit Deo, & vitam spiritualem possideat, valeat utcumque cognoscere.

Primum signum est, contritio vera, & efficax detestatio praeteritorum peccatorum, cum scilicet, terra cordis nostri abundantissimo imbri lachrymarum irrigatur, & amarissimis fletibus absorbetur. Sicut enim naturalis aqua sordes corporis lauat, ita aqua lachrymarum maculas mentis emundat, & iniquitatum nostrarum scditatem astringit. Et quemadmodum ignis inundatione aquarum extinguitur, ita & peccatum lachrymis contritionis interit. Vnde Chrysostomus. Rogum peccatorum extinguimus, non iam aquis multis, sed paruis eum lachrymis, multus enim peccati ignis, atque modica extinguit eum lachryma, nam lachryma, frater, rogum extinguit peccatorum. Si itaque hoc odium peccatorum habes, hunc dolorem experiris, hoc imbre largissimo lachrymarum cor tuum irrigari animaduertis, non temerarie opinaris te à peccatis eratum, & gratiam, ac vitam animae fuisse consequutum. Est namque contritio illud labrum aeneum, de speculis mulierum fabricatum, & in introitu vitae spiritualis collocatum, in quo est aqua doloris, ac lachrymarum, qua mueris, & speculum, id est, iudicium aliquod, in quo tuam munditiam aspicias.

Secundum signum est, stabilis, ac firma voluntas non perpetrandi aliquod graue peccatum, etiam si quis timeat, aut propriae vitae, aut omnium rerum creaturarum iacturam. Si enim (vt inquit Ioannes Apostolus) omnis, qui in Christo manet, non peccat, non solum ex eo quod vitat omne peccatum exterius, verum etiam quia non admittit, quatenus in Deo manet, peccandi voluntate, qui huius particeps est firmissime voluntatis

Fi. 6. ca. 6.

20.

in lo.

8.

9.

5.

20.

13.

Apoc. 1. 2.

Gregor. in psal. 2. p. 6. 2.

Exod. 28. 15. Hierony.

Augu. 99. in Exod. 9. Hugo annot. in Exod. dum.

2. Petr. 1. 9.

Matth. 13. 31.

Beda in Exod. ca. 28.

Chrys. ho. 5. de paen. nis.

Exod. 39. 8.

1. Ioan. 3. 6.

magnam habet suae mansionis in Deo, atque adeo vitae spiritualis coniecturam. Haec sane voluntas, non est hostis, sed serui fidelis. Nam hostis, iniuriam & mortem exoptat eorum, quos sibi infestos, & inimicos existimat: seruus autem fidelis illi obsequi cupit, quem dominum, atque herum agnoscit. Vnde si tu, hoc desiderium es adeptus famulandi Domino, & nunquam transgrediendi diuina mandata, inter fideles Domini seruos computandus videris.

Greg. homil. in Ezech.

Tertium signum est, multo tempore crimen non commisisse, neque graue peccatum perpetrasse. Nam (vt inquit Gregorius) peccatum, quod cito poenitentia non tergitur, iusto Dei iudicio ad aliud trahit. Qui ergo multis annis, quantum sibi conscius est, ad peccatum graue non trahitur, ad credendum, quod non sit peccatis lethalibus mortuus, sed Deo viuat, probabiliter existimatione ducitur. Sicut enim corpus mortuum, & anima destitutum, non potest non fetere, & indicia absentiae animae, ac priuationis vitae monstrare: ita non potest anima Deo mortua, non signa suae spiritualis mortis ostendere, & multo tempore fetorem noui alicuius peccati non emittere. Vnde iubete Domino tollere lapidem, quo corpus Lazari defuncti tegebatur, respondit Martha soror defuncti: Domine, iam fetet, quatruiduanus est enim. Haec responsione prudenter innuens, quod verum est, non posse videlicet animam Deo mortuam per absentiam gratiae, quam Lazarus mortuus designabat, pulchritudinem iustorum, & virtutum habere, & tetrum, ac grauem odorem noui criminis non exhalare. Hunc grauem odorem in se non sentiens, quidni pie credat se iam vocem Domini potentissimam audiuisse: Lazare, veni foras? Quia nouam vitam a Christo profecto donatam, acquisiuit, & fauces spiritualis mortis, qua vincus tenebatur, effugit.

Ioan. 11. 39.

Psalm. 1. 1. 1. Ioan. 14. 21. Ioid. 23.

Quartum signum est Diuinae legis obseruatio, & omnium diuinorum mandatorum impletio. De iusto quippe dictum est: sed in lege Domini voluntas eius. Et qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Et tursus: si quis diligit me, sermonem meum seruabit. & Pater meus diligit eum, & ad eum venimus, & mansionem apud eum faciemus. Ex hoc sanctus Rex Ezechias Deo se gratum esse coniectabatur. Obsecro (ait Domine, memento quae ego, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim.) Quam orationem, non de superbia Pharisaeica, sed ex animo grato, ac demisso processisse, Domini responso manifestat. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam, & ecce sanauit te, die tertio ascendes in templum Domini. Ex eadem quoque coniectura Bernardus vult, vt nos gratiam ipse adeptos agnoscamus.

4. Reg. 20. 5.

Bern. ser. de quatuor modis orandi.

Et tu ergo (inquit) si iam resurgis desiderio supernorum nisi grabatum tollis, corpus scilicet a terrenis eleuans voluptatibus, vt iam non feratur anima concupiscentiis eius, sed magis ipsa (vt dignum est, regat illud, & ferat, quod non vult, si demum ambulas, quae retro sunt obliuiscens, & ad ea quae ante sunt, te extendis desiderio, & proposito proficiendi, curatum te esse non dubites. Neque enim surgere poteris, si non aliquatenus onus esset alienatum, & nec grabatum tollere, nisi exoneratus magis, quia neque ambulare seruaore deuotionis, ac conuersationis cum peccatorum graui mole possibile est. Sic ille, & quidem sapienter. Omnes namque causas per suos effectus, aut manifeste cognoscimus si ab illis constet procedere, aut si non ita perspicue constet, saltem probabili ratione coniectamur. Sic ignem ex fumo, hominem ex loquela, & solem ex splendore cognoscimus, & ex visu cognoscitur vir, & ab oculo faciei cognoscitur

Eccl. 19. 38.

A sensatus. Haec autem a Bernardo numerata, licet possint ab alio, quam a gratia gratos faciente procedere, nimirum ab aliquo auxilio speciali Dei, saepe solent ab ipsa gratia, & Dei amicitia emanare. Bene igitur ex illis, si non euidenter, at vero similiter gratiam nobis iam inesse existimamus.

Quintum signum est, Lux quaedam caelestis mentes iustorum illustrans. quae saeculi vanissimam vanitatem agnoscant, caelestia mysteria contemplantur, & quid in singulis negotiis agendum sit, quidque omittendum, facile animaduertant. Hoc regius propheta insinuat, dicens. Accedite ad Deum, & illuminamini, id est, illuminabimini. Accedimus ad Deum (vt notat Augustinus) duobus pedibus, nimirum, charitate Dei, & dilectione proximi, & statim, quia ad verum solem iustitiae appropinquauimus, illuminamur claritate Dei, illa quidem claritate, quae intellectum suauiter docens, affectum ad despectionem saeculi, ad amorem Dei, & ad studium bonorum operum, potenter exsuscitat. Confirmat hoc

Ps. 33. 6.

August.

B Laurentius Iustinianus, cuius haec est oratio. Est namque gratia gratum faciens, quaedam matutina stella praefulgida, quae electorum quemque praecedens corde ducit ad Christum. Absque hac proculdubio humanus proficitur animus, & sui numquam iuris est compos, numquam amator sapientiae, neque fidelis in Domino. Per hanc vero rationalis mens efficitur sapiens, de caelestibus eruditur, & fide imbuitur, quae ad Christum in veritate pergentibus profus necessaria fore noscuntur. Optime gratia comparatur lumini, non quia sine vilo medio intellectum illuminet, quae non intellectum, sed ipsam animam substantiam afficit, sed idem lumini comparata est, quia secum affert lucem quandam diuinam, dona scilicet Spiritus sancti, sapientiam, intellectum, consilium, & scientiam: quibus mens iusti mirabiliter illustratur, & de rebus agendis efficaciter eruditur. Qui autem hanc lucem mirabilem sibi adesse suspicantur, & ex nonnullis effectibus a Deo sibi datam esse coniciant, neque imprudenter, neque praesumptuose, gratiam, huius lucis fontem iam in cor suum deriuatam esse putant.

Laus. Iust. ser. de Expi. Phania.

C Sextum signum est, charitas, qua feruentissime Deum amamus, ei per omnia placere cupimus, & proximos, praesertim inimicos, & nobis infestos diligimus. Discutiant ergo se fidelium mentes (inquit Leo Papa) & intimos sui cordis affectus, vera examinatione diiudicent, vt si depositum aliquid in conscientia suis de fructibus charitatis inuenerint, Deum sibi inesse non dubitent, & vt magis, magisque tanti hospitis sint capaces, fiant perseveranter in misericordia operibus ampliores. Dubitationis autem exelussio, quam Leo a fidelibus postulat, cum in se fructus charitatis inueniunt, & Bernardus supra postulat, cum alacriter onus diuinae legis portant, non infallibilem petit assensum, sed humanam quandam opinionem, & probabili persuasioni subnixam. Et Origenes ait: tunc nos testimonium habere, quod sumus filij Dei, cum a spiritu seruitutis in adoptionis spiritum venerimus, cum iam nihil inest timoris, id est, nihil propter poenam gerimus, sed propter amorem patris cuncta perficimus: Ecce sex gemmas pretiosissimas, hoc est, sex indicia gratiae nobilissima, quae a mystico rationali dependent, & ipsum incredibilem decore cohonestant. Sed ad alia, quae supersunt, transeamus.

Leo ser. 2. in festo Pascha.

Orig. lib. 7. in epist. ad Rom. ad c. 8.

D

De sex aliis vite spiritualis coniecturis.

CAPVT IIII.



Vita vite spiritualis gratia, sit quaedam similitudo Dei, qua homo percipiat, ostensione quoque suae naturae, Deo similis inuenitur. Sicut enim Deus in hac vita, neque penitus nobis innotescit, (vt ait sanctus Ioanes Damascenus) neque penitus a nobis ignoratur, sed per speculum, & aenigma cognoscitur: Ita vite gratia iusti, neque omnino cognoscunt, neque vero penitus nesciunt, sed verisimilibus rationibus sibi inesse coniectant. Quarum aliquas explicauimus: & ad alias modò ostendendas pergamus.

Septimum ergo gratiae indicium est, laetitia, atque gaudium; non quidem illud inane, quod de rebus cadacis concipitur; cuius extrema luctus occupat, sed verum, ac de celestibus rebus adeptum, quod non dolore, vel luctu, sed in detereminabili laetitia terminatur. Hoc gaudium, ita iusti animus adimpletur, vt manifeste videat gratiae & virtutis itinera tristitia non esse, sed omnino mundi exultationem superare. De hac enim gratia, qua vera sapientia est, illud dictum existimo: Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiae, & gloria. Via eius via pulchra, & omnes semitae illius pacificae: Ista omnia annorum diuturnitas, opes incomparabiles, honores eximij, quid nisi gaudium efficiunt? Et via eius pulchra, vel (vt est in Hebraeo) iucunda, ac pacis refertae, quid nisi ipsam laetitiam, & exultationem praesignabunt? E contrario vero via peccantium complanata lapidibus, id est (vt quidam exponunt) plena doloribus, durisque peccatorum operibus, & in fine illorum inferi, & tenebrae, & poene. Sed clarius Isaias hoc ipsum affirmat: Gaudium scilicet esse gratiae fructum, ac vite spiritualis effectum. Cum enim Domini voluntatem aperuisset, cuius impletionem spiritualis vita comparatur, ita subiungit: Tunc nimirum, cum hanc voluntatem fueris exequutus, delectaberis super Domino, & sustollas te super altitudines terrae, & cibus te hereditate Iacob patris tui. Et quidem hoc ipsa ratio manifestat: si enim gaudium efficit praesentia rei amatae, gaudeant iusti, & spiritualiter viuentes necesse est, qui Deum summum dilectum gratiae beneficio praesentem habent, suumque mentium habitatorem suscipiunt. Itaque hoc gaudium sentientes, eoque in Domino exultantes bene possunt existimare, se vitam gratiae spiritualem comparasse.

Damascenus.

Prou. 3. 16.

Eccle. 21. 11.

Isaia 58. 14.

Philip. 4. 7.

Cassian. col. 1. c. 16.

Isaia 2. 4.

Hier. 17. 1. in Isaia 6. 2.

A sed in acquisitione virtutum, & sincerissima Domini dilectione occupatur, signum est sponsum adesse, animam amore completi, anteaque eam in suam amicitiam recepisse: in pace quippe factus est locus eius. Et orietur in diebus eius, in quibus scilicet regnat per gratiam in anima, non solum iustitia, sed abundantia pacis, quia ipsa iustitia, sicut causa ex effectu pandatur.

Pf. 75. 7.

Pf. 71. 7.

Nonum indicium est, Contemptus saeculi, despectio terrenorum, fuga honorum, diuitiarum, ac voluptatum, caelestis patriae, & perfectionis desiderium, & feruor, ac animi quies in exercitatione virtutum. Nam cor humanum sine amore, & delectatione esse non potest, quare caelestia amare, & in Domino delectari conuincitur, qui mundum cum omnibus rebus mundanis detestatur. Sicut & contra, qui immoderate saecularium amore tenetur, diuini amoris manet icuius. Praclare enim dixit Gregorius: Esse quidem sine delectatione, anima numquam potest, nam, aut in finis delectatur, aut in summis: Et quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto maiori fastidio torpescit ad infima, quantoque acriori cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit a summis. Vtraque enim simul, & aequaliter amari non possunt. Qui ergo haec terrena non amat, amator videtur esse rerum caelestium, siquidem amore vacuus non valet persistere. Si de mundo suissetis (inquit Dominus) id est, similes iniquis, & peruersis hominibus, mundus, quod suum erat diligeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, hoc est, ab iniquis vita & conuersatione seiunxi, propterea odit vos mundus. Vertamus igitur Christi Domini argumentum, & vite spiritualis indicium eliciamus. Si mundus ad iustos, & Dei amicos pertineret, illi profecto, quod suum erat, diligerent; quia vero ad eos mundana non pertinent, & a peccatis, & peccatorum fomitibus separati sunt, ideo fomites peccatorum non amat, & ex defectu huius amoris mundani, recte possunt existimare se pollere amore diuino. Decimum indicium est. Aut non timere mortem, sed eam aequo & alacri animo expectare, aut eam valde cupere, sicut rem desiderabilem, atque pretiosam. Amicus enim est iudicis, qui iudicis occursum non timet, & seruus fidelis est regis, qui regis conspectum non reuertur, & res creatas non amat, qui eas in perpetuum deferere non exhorret. Quis dicat nisi amicus Christi: Capio dissolui, & esse cum Christo: Quis nisi verus amator Dei confidenter proferat: Coartor autem a duobus, desiderium habes dissolui & esse cum Christo, multo magis melius, permanere autem in carne, necessarium propter vos? Qui nisi socij fideles erunt, similes seruis expectantibus dominum suum, quando reuertatur a nuptiis, vt cum venerit, & pulsauerit, confestim, & sine timore aliquo aperiat eis? Videmus in saeculo (inquit Ambrosius) innocentes laetos ad iudicium festinare, odisse moras, celeritate affectare iudicij: Beatus itaque ille, qui caeleste iudicium laetus expectat, scit enim sibi regnum caelorum, Angelorum consortium, coronam quoque bonorum repositam esse meritum.]

B

C

D

E

Greg. 18. mor. c. 8.

Ioan. 15. 19.

Philip. 1. 23.

Luca 12. 36.

Amb. in Psal. 118. in libro Memor. sal. indicij. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Richard. lib. de c. s. c. 1. 1.

Vndecimum indicium est, Conscientiae propriae testimonium, non increpantis nos, neque aduersus aliquod graue peccatum in oblatum. Nam conscientiae motum impressit nobis Deus, vt praua reprehendat, iniqua corrigat, distorta dirigit, bona approbet, & ad meliora sepe instiget. Hac sola iustitia, & morum rectitudo placare potest. Quam ob causam dixit Richardus Victorinus, Quietam conscientiam facit praeteritorum malorum condigna satisfactio, & instantium malorum cauta prouidaque declinatio.

Quietus itaque in domo manet, quem conscientia sua, nec de præterita, nec de præfenti culpa remordet. Si ergo hæc tam importuna accusatrix, & delicata nostrarum actionum inspectrix, nullius nos criminis arguit, nullum graue peccatum reprehendit, cõiectura est, huiusmodi peccatum in nobis non inueniri. Quare merito Paulus de isto testimonio gloriatur, dicens: Gloria nostra hæc est testimonium conscientie nostræ. In hoc suam gloriam, & exultationem collocabat, nõ quod ab hominibus laudabatur, quorũ attestatio sepius fallit, sed quod a conscientia sua, coram Deo non increpabatur, cuius testimonium communiter nõ errat. Et Ioannes: Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deũ, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodiimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus. Concipiamus fiduciam, quod Deo placeamus, si cor, id est, conscientia non reprehendat nos, non sanè vanam & temerariam, sed verisimile, & probabili persuasione fulcitur. Et tandem Gregorius. Et si omnes vituperent, liber est tamen, quem conscientia non accusat. Quia si omnes laudent, liber esse non potest, si hunc conscientia accusat. Modeste tamen hæc conscientia testimonio fidendum est nobis, illud Pauli cogitantibus. Nihil mihi conscius sum, sed nõ in hoc iustificatus sum. Illud quoque Augustini. Debet quisque cõ tremore exultare, quia donum Dei est, vnde exultat, non meritũ suum. Etenim sunt multi sibi placentes, & iustos se esse arbitantes, & procedit aduersus illos alia pagina, dices: Quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? Sic ille.

Duodecimum tandem indicium est. Testimonium Spiritus sancti, qui interdum latenter mentibus iustorum verba quædam instillat dicentia, ipsos fuisse iam Dei gratiam, & amicitiam consequutos. Nos autem (inquit Paulus) non spiritu huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Itaque Spiritus ipse Dei est, qui interius aliquando testificatur in nobis nos esse filios Dei. Quod his verbis Augustinus confirmat. Nos autem, charissimi, ut amici Domini esse possimus, quid nollet Dominus faciat, sciamus: Non solam enim homines, verum etiam iustos ipse facit nos, & non ipsi nos. Et hoc, ut sciamus, quis nisi ipse facit? Non enim spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis. Ab ipso quicquid boni est donatur. Ergo quia & hoc bonum est, ab ipso utique donatur, ut sciat, a quo bonum omne donetur, ut omnino de omnibus bonis, qui gloriatur, in Domino gloriatur. Sed multo clarius ipse Paulus alio loco hoc ipsum edocuit. Ipse (inquit) Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Certe si loquent, & attestatẽ Spiritũ sanctum esse, iustis manifeste cõstaret, clarissime, & absque vlla hæsitacione sciret, se Dei gratia, ac vita spirituali pollere. Nam si vel homo, vel Angelus, vel Archangelus (inquit Chrysostomus) vel alia huiusmodi potestas hoc polliceretur, par cõueniensq; esset non illos hæsitare, cum autẽ summa essentia, & ea quidem, quæ hoc largita sit donũ, vel ab his, vnde preces fundere iussit, nobis testimonium afferat, quis tandem de dignitate ambiget? Neq; enim rege suffragio suo aliquem eligente, aut honorem alicui apud omnes præconio suo decernente sustinebit subditorum quicquam cõtradicere. Sed quia hoc diuini Spiritus testimonium cordibus particularium iustorũ aliquando tributum, certa fide non constat, sed probabili

ratione cognoscitur, pariter coniectura est, eos tam eximij doni iam esse participes.

Hæc sunt duodecim nobilissimæ gemmæ, quæ à vita spirituali gratiæ dependent, & cam animæ nostre probabiliter inesse demonstrant, multo pretiosiores iis, quæ rationale sacerdotis exornabant, & illis non omnino dissimiles. De rationali quippe, ita scriptum est: Ponetque in eo quatuor ordines lapidum: in primo versu, erit lapis sardius, & topazius, & smaragdus: In secundo, carbunculus, sapphirus, & iaspis: In tertio, ligurius, achates, & amethystus: In quarto, chrysolithus, onychinus, & beryllus. Sardius (ut inquit Arethas) immanes bestias exterrit, & cõtrictio monstra peccatorum fugat. Topazius tanta est perspicuitatis ut aliarum gemmarum sibi obiectarum recipiat claritatem, & propositum non peccandi, omnium, quæ iussa sunt, perfectionem debet amplecti. Smaragdus aciem oculorum roborat, & perseverantia in bono oculos mētis ad contemplationem diuinorum confortat. Carbunculi splendor est tantus, ut nec tenebrofa nocte vincatur, & custodia legis diuinæ tanta lux est, ut nullis obmurmurationibus superetur. Sapphirus caelestis coloris est, aureisque punctis collucens, & lux supernaturalis è celo demittitur, & illius beneficio aurea desideria charitatis excitantur. Iaspis magnam habet firmitatem, charitas verò tante est fortitudinis, ut nec timore præsentium aut futurorum malorum à Domino separetur. Ligurius ignei coloris, iactatus in igne, ac si extinctus esset, colorem amittit, & aqua perfusus exardescit, sic verum gaudium in prosperitate est temperatum, in tribulatione supra omne damnum erigitur. Vnde Paulus: Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Achates vitat pericula, ac vitæ discrimina, & læticiam, atque exultationem immitit, at paxurbationis est expertus, & oritur ex vera læticia. Amethystus vini rubri colorem habet, & contemptus faculi ita iustos inebriat, ut neque honores ament, nec ignominias timeant, & omnia humana contemnat. Chrysolithus timores noctis, & tristitiam pellit, ita audacia diuinitus attributa ad sustinendam mortem, timorem mortis eneruat. Onychinus, instar vitæ est candidus, & conscientie testimonium esse non potest sine candore virtutum. Beryllus, ut dicitur, manum gestantis exurit, & Spiritus sancti testimonium corda iustorum exurens, ardorem charitatis accendit.

Fœlix anima, quæ habet aliquam istarum gemmarum, sed quæ possidet omnes, multo fœlicior. Ea enim anima, quæ intima quadam peccatorum cõtritione perfunditur, & amarissimis fletibus irrigatur, quæ firmissimam habet numquam peccandi voluntatem, & quæ à die conversionis suæ per multos annos grauius deuitans cinina, diuina mandata fideliter implet, his etiam consiliorum obseruationem adiiciens, caelesti lumine sepius illustratur, & ardentissima charitate, summo gaudio, ac pace perfruitur, nec his diuinis obsequiis contenta, mundum adhuc, & omnia terrena contemnit, sui que corporis dissolutionem suspirat, & conscientie testimonium, ac Dei Spiritum (ut sibi quidem non temerarie videtur) interius loquentem audit, & gratiam se infudisse attestantem: Talis, inquam, anima, maxima indicia habet gratiæ, ac amicitie Dei. Hoc de se putans non erit insipiens si omnibus se subiciat, si in mandatorum obseruatione persistat, si prælatis obediat, & in rebus credendis, aut agendis pro Ecclesiæ sanctæ definitionibus, suum proprium sensum in omnibus, iudiciumque de-

Exod. 28.
17.Aretib. in
Apoc. 4.2. Cor. 7.
4.

ponat

2. Cor. 1.
12.1. Ioan. 3.
21.Greg. in
reg. lib. 9.
epist. 39.1. Cor. 4.
4.1. Cor. 2.
12.August.
87. in Ioh.Rom. 8.
16.Chrysostomus
ad Rom.

Erelef. 5.
Eecl. 9. 8.

ponat. Ex ea ergo parte, qua ista signa omnino certa non sunt, illud obseruare debemus. De propitiato peccato noli esse sine metu. Ex illa verò, qua verisimilia sunt, illud Salomonis audientes: Omni tempore sint vestimenta tua candida] felicem gratia statum honorum actuum præsidio seruare curemus, ne si hoc talentum habuerimus otiosum, iuste auferatur à nobis, & nostræ faciamus redemptionis iacturam.

Quid sit vita Spiritualis, prout in actione consistit.

CAPVT V.



SICUT naturalis vita actionum vitalium causa homini data est, vt scilicet sentiat, & se moueat, & intelligat, aliasque vitæ operationes exerceat, & infelix esset ille, qui nec manducare posset, nec bibere, nec sensibus vti, nec manibus laborare, nec pedibus progredi, neque aliam vitæ actionem perficere, breuique tempore vitam sibi tributam amitteret: quippe quæ sine huiusmodi operationibus non potest conseruari: Ita vita spiritualis gratiæ, non vt otiosa maneat, sed propter virtutum opera, ac sanctitatis merita, hominibus à Deo prerogata est, quæ, qui incuria, & socordia victus, ommitteret, illo, qui dū vine-ret, opera vitæ præstare nõ potuit, multò esset infelicio- r, quia nõ defecta naturæ, sed propriis manibus (vt aiunt) sibi mortem conscisceret, & vitam animæ, sine vlla comparatione corporis vita pretiosorem, consumeret, ac lapidaret. Ided Dominus, simul at- que primum humani generis parentem, in gratia, ac iustitia originali creauit: tulit illum, & posuit in paradysum voluptatis, vt operaretur, & custodiret ill- ù, & curâ ei seruandæ alicuius legis imposuit, dicēs: Ex omni ligno paradysi comedet, de ligno autē scien- tiæ boni & mali, ne comedas:] & ne legem trāsgre- deretur, minas intētauit, adiciens: In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.] Vt scilicet intelligeret, se gratiam, & iustitiam recepis- se vt Deo creatori obediret, & virtutum meritis vitā spi- ritualem custodiret, & gratiā cumulare. Ad hoc sane in loco voluptatis fuit collocatus, quod tūm labor, tum illius loci custodia (secundū Ambrosiū) non obscure significant. In opere enim (inquit) quidam virtutis processus est, in custodia quædam con- summatio operis deprehenditur, eo quod quasi consummata custodiatur. Hæc duo ab homine requirun- tur, & vt operibus noua querat, & parta custodiatur. Ad hoc quoq; præceptum accepit, vt obedientia, & subiectione seruaret dona, quæ à suo creatore susce- perat. Vnde in Ecclesiastico legimus: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consi- lij sui. Adiecit mādara, & præcepta sua,] & dixit illi, quod sequitur: Si volueris mādara seruare, conser- uabunt te; si tamen in mandatorum custodia perse- ueraueris, & in perpetuum volueris fidem placitam facere. Vt ergo spiritualis vitæ statū conseruemus, & augeamus, operæpretium est in bonis operibus laborare, & cū Paulo verè dicere: Gratia Dei in me vacua non fuit.] Qui enim eam vacuam habuerit, & minimè in adeptione meritorum impenderit, non longè abest ab spirituali interitu, & donorum cæle- stium perditione. Hoc autem negotium, hæc occu- patio, quia studiosis vacamus operibus, & gratiam augeamus, & ad perfectionem properamus, vita spi-

Genes. 2.
15.

Amb. lib.
de parad.
c. 4.

Eecl. 15.
14.

1. Cor. 15.
10.

A tualis vocatur, non iam in habitu tantum, sed in a- ctione consistens. Cuius natura nunc explicanda est, vt qualem vitam nos in religione positos facere oporteat, & quales occupationes debeamus admittē- re, in ipso tractationis initio discamus.

Vita ergo spiritualis, si eam breui descriptione volumus explicare, nihil aliud est quàm bonorum operum exercitatio, qua Deo propter Deū famula- mur, in virtute ac sanctitate proficimus, & illā bea- tam vitam promeremur, cuius gratia conditi sumus. Non est hæc vita vnum aut alterum virtutis opus, sed series quædam bonorum operum, continuatio perpetua meritorum, & iugis, ac diligens exercitatio virtutū. Neque enim spiritualem dices esse munda- nū, quia semel in die aliquas preculas fudit, aut ali- quādo ieiunij legē impleuit, aut indigenti interdum eleemosynam erogauit, si reliqua opera sua mūdana sunt, atque carnalia, totāque vitam in mundanis occupationibus, curisq; cōsumit. Sed illum vocas spiritualem virum, & meritò quidē, qui relictis acti- bus sæcularibus, vitam operibus bonis, ac virtutum adeptioni consecrauit. Quod Laurētius Iustinianus, vt mihi quidem videtur, his verbis confirmat. Innu- meris quippe via hæc est decorata vernantibus, atq; coruscantibus virtutum gemmis, nec nõ variis stra- ta est redolentibus mandatorum floribus, aded, vt qui per illā graditur, errorem pati nequeat, nec fœ- torem. Præceptorum namque Dei obediētia intror- sus refectus, quadam spirituali suauitate nutritur, sponsa illud memorabile dicens: Trahe me post te, in odorem curremus ynguentorum tuorum,] id est, præceptorum tuorum. Caterum de virtute transiēs in virtutem, tamquam de claritate prouectus in cla- ritate, spirituali Domini meretur ditari præsentia. Caueat prouidus omnino viator, ne ad dexterā par- tem declinet, vel læuā: sed præuia semper luce à vir- tutum disciplina, & mandatorum integritate non deuiet. Ista planè sunt spiritualis vitæ præclara itine- ra, cælitus viatoribus demonstrata, quatenus quæ per- gant sufficienter edocti, falsitatis minimè labatur in tenebras.] Quomāmodum igitur nõ est miles, qui semel ense, aut gladium exemit, neque aduocatus, qui reum aliquando in iudicio defendit, neque mer- cator, qui vitæ sustentandæ gratia, aut cibum, aut ve- stem mercatus est: sed miles est, qui militiæ discipli- nam arripuit: & aduocatus, qui ex officio munus pa- trocinandi suscepit; & mercator, qui negotiationi ac mercimoniis insistit; atque in hunc finem omnes suas operas dirigit, ac labores, vt scilicet, victoriam assequatur, in iudicio vocatus defendat, aut emē- do, & vendendo, diuitias, opesq; conquirit. Ita nõ est vitæ spiritualis cōsectator, qui aliqua bona ope- ra, & spiritualia perficit, sed qui proposito sibi Deo tamquam vltimo suæ vitæ finē, vniuersas actiones suas, aut spirituales, & sanctas, & alicuius virtutis si- lias esse cupit, aut in spiritus profectum & in sancti- tatem reducit.

E An Saul Propheta, aut laudator Domini vocatur, quia semel prophetauit, vel laudauit Deum, & casu inter Prophetas inuentus est? Nequaquā. Non enim (vt inquit Lucherius) si quis dixerit aliquid, quod ad sapientiam pertinet, continuo sapiens existiman- dus est; sic nec quisquam si aliquando prophetauit, iam inter Prophetas numerabitur. cū & Dominus in Euangelio dicat, quosdam eum gaudio verbum excipere, sed esse temporales.] Ita profectò nõ eris spi- ritualis vir, quia ex instituto aliqua opera spiritualia exeres, si non ad perfectionem omnem vitam dirigas, & ad normam spiritus omnes actiones tuas, studiūque componas. Num putas te virum esse spi-

Laur.
Iust. lib.
de spiritu.
conf. c. 15.

Cat. 1. 4

1. Reg. 10.
11.

Lucher. in
1. regum.
10.

ritualem, quia statutis horis in choro oscitater psallis, aut per aliquam horulam quotidie diuina mysteria tepida mente consideras: Cum tamen leuia peccata non timeas; tuos immoderatos affectus non ordines; virtutes, & animi puritatem non queras; & aut in vanis studiis, aut in secularibus negotiis; aut in superuacuis colloquiis, tempus & vitam impendas: Toto celo erras, si hoc putas imò videris inter sanctos & viros perfectos; quorum professionem sectaris, tamquam agrestis Saul inter euneos Prophetarum. Dicemusque de te non iam admirantes, sed iridentes quod de illo asinario dictum est. **Quenam res accedit filio Cis: Num & Saul inter Prophetas?**] Ut itaque sis vir spiritualis, secularia deserere necesse est, & cui contemptum, virtutisque opera actionesque secteris. Alioquin tantum abest ut vitam agas spiritualem; quod potius viuens corpore, spiritu mortuus es, dicente Apostolo: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. **Habitu mundus appares, id est, vir studiosus atque perfectus; intus autem es canis reuersus ad vomitum, & tamquam sus lota in volutabro luti.**] Quod non tantum in eos quadrat, qui statum religionis deserunt, sed in illos quoque, qui statum retinentes, religiosos mores non retinent. Vnde Bernardus, postquam dixit, eos, qui non spiritu opera carnis mortificant, esse plangendos, fundit: Non eos tantum alloquor, qui corpore, sed etiam eos, qui corde redeunt in Aegyptum, seculi huius oblectamenta sectantes, ac proinde fidei vitam, quæ est charitas, non habentes. Si quis enim diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quis magis mortuus eo, qui fouet ignem in sinu, an qui peccatum in conscientia, nec sentit, nec expauescit, nec excutit? Et Ephrem eos iure optimo ridet, qui non iuxta normam suæ vocationis viuunt, eosque non vitam spiritualemente agentes, sed mundanos plangens, & carnales appellat. Quis (inquit) non irideat, aspiciens eum, qui heri in mote seipsum ad ministerium fratrum in vnum habitantium præcinxerat, ad imitationem Domini nostri Iesu Christi, hodie famulorum comitatu stipatum, & ab ancillis eius lauari pedes, eosdemque in molli lecto reponi, & ad fluxum, atque remissum, affectionibusque plenum vitæ genus, iterum propensum illum inuenit? Aut quis eum ludibrio non habeat, qui heri in cella conclusus erat, & multorum conuersationem vitabat: hodie autem cum inhonestis mulierculis viuente, & in tabernis ebrietati studentem? Aut quis eum non reprehendat, qui die hesterno, sua sponte, quæcumque temporalia, siue mundana abiicit, inopiam amplectens; hodierno autem assidentem in iudiciis: Et quæ iam damnata, studiosus rursus ad se reuocantem, & suam mentem à celestibus ad terrestria traducentem, iudicisque mancipiorum instar sequi gestentem? Et loco deprecationis, atque meditationis eloquiorum Dei, cum caudicis sermocinantem: Et pro simplicitate, atque innocentia, versutiam morum, atque sermonum assumentem? Ex iis manifesta ratione colligimus, vitam spiritualemente, non in admissione status perfectissimi; non in obligatione virtutis; non in tepida, ac remissa quorundam bonorum operum implementatione esse collocatam; sed in assidua, ac feruida exercitatione bonorum operum, & non intermissa mundanarum actionum serie, esse constitutam.

Est ergo vita spiritualis, quæ defectus quoque modicos detestatur; & non tantum in maximis, verum etiam in minimis, Dei voluntatem complectitur: Quæ mundum, & omnia secularia fugit, & in vitam caelestem, ac opera caelestia contendit: quæ demoni, vniuersisque eius suasionibus bellum indi-

cit, & Dei imperatis, ac diuinis inspirationibus parere. Vita spiritualis est; quæ omnibus euitis, & cupiditatibus seculi vacua, peccata desinet, passiones cohibet, amorem creaturarum pellit, tentationes vincit, angelos imitatur, humilitatem amat, mansuetudinem cupit, puritatem induit, secretum petit; non in plateis, sed in cella, & abditi proprii cordis commoratur, non cum hominibus; sed cum Sanctorum voluminibus loquitur, non rumores audit, sed Dei afflatus aufcultat, non noxia cogitat, sed Dei beneficia, & perfectiones contemplantur, non vitam terrestrem in celo religionis, sed vitam caelestem agit in terra. Denique illa est, quæ cum omnibus vitiis gerit inimicitias, & vniuersas sibi virtutes adiungit. Si hæc non tantum desideris, sed operibus præstas, iam vir spiritualis es, iam ad spiritualemente vitam ascendisti, in minimis, secularis es moribus, quemcumque profitearis statum, & vitam habes carnalem, atque mundanam.

Vita denique spiritualis est, qua vniuersis peccatis, ac vitiis morimur, & omnibus virtutibus viuimus, & ad sancta & perfecta opera facienda dirigimur. Sicut enim mors est quedam sepatatio animæ & corporis; ita quoque mors dicitur, cum separamus à corde vitia, quæ in illo viuebant, & illud amouebant; regebant, & secundum carnem animabant. Separata autem à corde, tamquam à corpore, hæc vita carnali, statim abscedunt vitia, atque peccata, id est, vitæ carnalis actiones, adeo, ut mundo mortuus dicat: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo,] & incipit Deo viuere, & virtutis opera, id est, actiones vitæ spiritualis sectari. Audiamus hoc, ne forte, aut decipiamur, aut decipiamus, ex ore Prosperii Regiensis Episcopi, qui optimè mundo mortuum, id est, virum spiritualemente, & insistentem vitæ spirituali depingit: Quid est (inquit) peccato mori, nisi dammandis operibus omnino non viuere: Nihil concupiscere carnaliter, nihil ambire: Ut sicut, qui mortuus est carne, nulli iam detrahit, nullum auersatur, aut despicit, nullius pudicitiam callida circumuentione corrumpit, nemini violentus existit, neminem calumniatur, aut opprimit, non inuidet bonis, aut insultat afflictis, non luxuria carnis in seruit, non violentiæ deditus, in se bibendi sitim, bibendo magis, ac magis accendit, non odiorum facibus inardescit, non compendia iniusta sectatur, non potentibus, aut diuitibus adulatur, non inquieti curiositate raptatur, non domestica sollicitudinis cura distenditur, non officiosis occurrentium salutationibus delectatur, nec superbiorum iniuriis fatigatur, non eum superbia inflat, non ambitio ventosa præcipitat, non vana gloria turpiter iactat, non desiderium gloriosæ opinionis inflammat, non distentio alieni actus illaqueat, non ad societatem turpium turpitudinis amor inuitat, non rabies insani furoris exagitat, non sumptuosarum deliciarum studium maciat, non ardor animosæ contentionis exanimat, non facit impudentem audacia, iniquum iniustitia, ferum inclementia, varium inconstantiam, pertinacem contumacia, insanum vesania, delicioforum gula, rebellè inobediencia, vanum iactantia, infidelem perfidia, leuem facilitas, sæuam crudelitas, mæducatorem turpis edacitas, impatientem mobilitas, mobilem instabilitas, vagum spiritualis infirmitas, iracundum animositas, suspiciosum peruersitas, verbosum vanitas, iniuriosum malignitas; qui remotus est profusus à secularibus illecebris, remotus ab inimicitias, remotus ab insidiis alienis, remotus à rapinis, vel occulioribus, vel aperiis, remotus à mædaciis, siue perjuryis; postremò remotus ab omni genere flagitiorum, at-

que

que

que

que

Rom. 8.
13.

2. Pet. 2.
22.

Bern.

Ephrem de
non sancto
dilatando
proci-
mo.

Galat. 6.
14.

Prosper.
de
vita con-
temp. c. 21

que facinorum, quibus carnaliter viuentes Deum offendunt, & mortui peccato non seruiunt. Sicut, inquam, carne mortuus, nec facere potest ista, quæ dixi, nec patijta & his, & talibus vitiis omnino non viuunt, qui viuentes Deo, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigunt.] His omnibus vitiis moriantur, & contrariis virtutibus viuunt, qui vitam spiritualem arripiunt. Non ergo vita hæc in aliquo bono opere remissa facta, & mundanis operibus texto, sed in omnium vitiatorum fuga, & in quadam bonorum operum continuatione & virtutum aggregatione consistit.

*Quæ opera ad vitam spiritualem
pertineant.*

CAPVT VI.



R I A sunt genera humanarum actionum. Alterum, bonas; alterum, malas: tertium, medias actiones complectitur. Bonæ sunt, quæ ex natura sub aliqua virtute nascuntur, vt contemptus sæculi, despectio sui, castigatio corporis, mortificatio passionum & propria voluntatis, humilitas, mansuetudo, obedientia, & reliqua huiusmodi. Malæ sunt, quæ ab aliquo vitio procedunt, & diuinis mandatis contradicunt, vt ira, vt inuidia, vt superbia, & aliæ similes pestes, quæ mortem spiritualem efficiunt; aut quæ sunt præter diuina mandata, vt ea peccata, quæ venialia vocamus, quæ, vt ægri tudines animæ, ad mortem spiritualem disponunt. Mediæ sunt, quæ pro hominis ventis voluntate, bene & male fieri possunt, vt visus cibi, & potus, & somni, & aliorum similiu, sine quibus vita mortalis non ducitur. Quod his verbis confirmat Cassianus. Nihil igitur in rebus daturat humanis principale bonum esse credendum est, nisi virtus animi sola, quæ fide sincera nos ad diuina perducens, illi immutabili bono facit ingiter inherere. Et è contrario, nihil malum esse dicendum est, nisi peccatum solum, quod à bono Deo nos separans, malo facit Diabolo copulari. Media sunt, quæ in vtramque partem pro affectu, & arbitrio ventis deriuari possunt, vt putæ, diuitiæ, potestas, honos, robur corporis, sanitas, pulchritudo, vita ipsa, vel mors, paupertas, infirmitas carnis, iniuriæ, & cætera his similia, quæ pro ventis qualitate, & affectu, vel ad bonam possunt partem proficere, vel ad malam.] Quod autem hæc velut in medio sunt constituta, vt possunt in bonum & malum inclinari, manifestum esse ex huius patris ratione colligitur. Nam vsus diuitiarum bonus est, si pauperibus erogentur, secundum illud: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis;] malus, si ad auaritiam, vel ad luxuriam congerantur. Honos, bonus fuit Danieli, qui eo vtebatur ad bonum regis, & regni Persarum: malus, Aman, qui eo iuari voluit ad excidium Iudeorum. Sanitas, & corporis robur bonum erat illi, qui dicebat: Fortitudinem meam ad te custodiam;] malum verò ei, qui ad ministerium suæ nequitie detorquet. Est bona mors: Nam pretiosa in conspectu Domini mors sanctoru eius;] & est mala mors: Nam mors peccatorum pessima.] Est bona natiuitas, vt Ioannis Baptista: quæ gaudij materiam multis attulit, dicente Euangelista: Multi in natiuitate eius gaudebunt;] & est mala natiuitas, vt illa Iude. Bonum enim erat ei, si natus non fuisset homo ille.] Et tadem omnia illa, quæ ventis arbitrio bona pol-

A sunt effici, & mala, in medijs, aut indifferentibus (vt vocant) numerantur.

Actiones ergo malæ, faciat Deus, vt longè sint à nobis, hæc enim nõ vitæ spiritualis opera, sed actiones sunt vitæ carnalis. Quod si iusti leuiter peccant, & in minima peccata labuntur (cùm non sit homo, qui non peccet, & septies in die cadit iustus) id non faciunt quæ iusti sunt, sed quæ homines infirmi, & imbecilles, ex corrupta Adæ radice procedentes, & sic non tantum humilitatis gratia, sed verè, & ex animo vocare se possunt peccatores. Hæc opera ad vitam spiritualem non pertinent, sed è latere illi insidiantur, vt eius feruorem minuant, robur labefactent, & (quod in illis est) ad interitum excidiumque disponant. Sedit populus manducare, & videre, (quod non magnum, & exitiosum apparet malum) & surrexerunt ludere, hoc est idolis immolare. Et sicut ex morbo infirmus venit ad mortem, ex morte ad vermes, & fetorem, ita isti ex immoderato conuiuio, quod est instar morbi, ad mortem animæ processerunt, & spiritualem vitam dilapidarunt. Quæ ergo vitam istam eneruant, & ad mortem præparant, ad eam pertinere non possunt. Hæc enim ratione Dominus astruit nullum sibi ac dæmoni esse commercium, quia eius insidias detegebat, & conatus disturbabat. Omne (inquit) regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem Sathanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? Quia dicitis in Beelzebub eiecere me dæmonia.] Optima, & efficax ratio, quæ etiam in proposito locum habet. Nam si opera mala, licet leuia, ad vitam spiritualem spectarent, non eam extenuarent, neque ad interitum, & corruptionem paulatim deducerent, quia verò eius non sunt effectus, seu fructus, idè vitæ spirituali repugnant, ac bonis moribus contradicunt.

C Primò ergo ad vitam spiritualem pertinet omnes actiones bonæ, id est, quæ ex natura sua, opera sunt alicuius virtutis. Quare Hieronymus eas solas inter officia viri perfecti recenset, dicens: Veram vitam esse Deum nosse, timere eius potentiam, amare pietatem, mundum in opifice mirari, interpellatore contemnere, esse victu modico pro naturæ necessitate contentum, veste vili, vel pudoris ratione, vel pro temporis iniuria communitum. Sic reliquæ creaturam, non ex sui copia, vel pro vitali ratione, sed pro adiuumento huius lucis attingere. Quidquid enim amplius est, à malo est. Omnem hominem amare quasi fratrem, nullum ledere, seruire omnibus, formam serui sustinere cū Domino, qui nobis præter ministerium, quod interius continetur, quotidie seruit in mundo, producendo solem, emittendo lucem, pluias infundendo, tempora variando, fruges, vel gignendo, vel maturando.] Et paulò inferius, ad opera hominis iusti interiora sermonem transferens, inquit: Cæterum illa interioris hominis vita in diuinarum rerum cognitione consistit: non quæ cælum terræ parte voluatur, neque in alijs similibus, quæ enumerat. Nam hæc ad animæ non tendunt utilitatem, & apud Deum stulta iudicantur; sed in illis sanis cogitationibus si quando versatur, tunc viuunt & pacitur. Quæ sunt autem istæ sana cogitationes? Illæ sine dubio cùm mēs nostra sui recordatur auctoris, cùm illum velut per quamdam respicientiam sui, opificem suum veneratur, ac contactur.] Hæc igitur primò & præcipue vitæ spiritualis sunt opera.

E Secundò verò opera media, vt comedere, bibere, dormire, & moderata recreatione vti, si tamen hæc ex statu mediorum, proposito sine virtutis, ad statum bonorum operum efferantur, & in Deum, tamquàm

PROV. 24.
16.

Exod. 32.
6.

LUC. 11.
17.

Hier. 17.
de viro perfecto, tom. 9.

Cassia.
col. 6. c. 3.

LUC. 16. 9.

Daniel. 5.
16.

Esai. 3.
1.

Psal. 58.
10.

Psal. 115.
15.

Psal. 33.
22.

LUC. 1. 14.

Mat. 26.
24.

D. Tho. 1.
2. 2. 1. ar.
3.

Psal. 121.
2.

Aug. 1. in
uindem
locum.
Matt. 23.
37.

Galat. 4.
26.

Psal. 133.
1.

Psal. 83.
11.

3. Reg. 6.
36.

Hugo lib.
3. de clau.
suo ani.
ma. c. 2. 5.

in scopum referantur. Cum enim actiones humane (vt doctor Angelicus subtiliter disputauit) speciem fortiantur ex fine, quia iste est veluti actus & forma, est quasi anima naturam tribuens humanis actionibus, consequens est, vt opera ista in diuinum finem, ac supernaturalem directa, non iam ad naturalem vitam: sed ad spiritualem pertineant. An non vniuersa opera meritoria ad vitam spiritualem spectant, eiusque sunt actus, atque functiones? sed actiones istae mediae huius altissimi finis causa susceptae, iam bonae sunt, & vitales, iam mercedem, non terrenam, sed caelestem recipiunt: Sunt ergo spiritualis vitae partus, & fructus. Haec est natura mediorum, vt aliquid extremorum participant, & fines sint respectu priorum, media vero, aut posteriorum exordia. Vt inter colores fuscus, neque albus est, neque niger, continet tamen aliquid albi, & aliquid nigri: Et inter rerum cognitiones, Theologia, ita scientis naturalibus, ac beatae visioni Sanctorum interiacet, vt illarum sit finis, istius autem constituitur initium. Vita autem spiritualis media quidem est inter duas vitas, ac vitam naturali, vitaeque caelesti intericitur. Quare in illis atris praefigurata est, de quibus sanctus Dauid ait: Stantes erant pedes nostri in atris tuis Hierusalem. Sicut enim ista Hierosolyma non est illa terrena, quae non semel ab hostibus est capta, & in cinerem versa, sed illa, quae ex viuis, & electis lapidibus aedificatur in caelis. Vnde (inquit Augustinus) quid enim magnum stare in ista Hierusalem, quando ipsa Hierusalem stare non potuit: quae in ruinam conuersa est? Nonne illa est Hierusalem, cui dixit Dominus: Hierusalem, Hierusalem, quae interficis Prophetas, & lapidabam millos ad te? Quid magnum ergo iste concupiscebat stare inter illos, qui interficiebant Prophetas, & lapidabant millos ad se? Absit, vt de ista Hierusalem sic cogitet, qui sic amat, qui sic ardet, qui sic vult peruenire ad illam Hierusalem matrem nostram, de qua dicit Apostolus: Aeterna in caelis. Itaque sicut ista Hierosolyma significat patriam caelestem, ita atria eius non terrena sunt, sed vitae spiritualis opera, in quibus, dum stamus, citra dubium iam patriae caelestis atria tenemus. Nec semel in Scripturis nomine atrij haec spiritualis vita signatur. Haec enim sunt apud eundem Prophetam, atria domus Dei nostri in quibus introimus, vt adoremus eum in spiritu, & veritate. Haec sunt atria, quae nos a vita carnali fugientes excipiunt, vt dies laetos, & iucundos traducamus. Quia melior est, Domine, dies vna in atris tuis super milia. Et forte hoc est atrium interius templi, quod aedificauit Salomon Rex pacificus tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri. Quod (vt inquit Hugo) vitam designat illorum qui non tantum hostias offerunt, sed etiam immolant, & occidunt. Affligunt enim carnem suam in laboribus, & ieiuniis, & incendunt igne tribulationis. Hoc autem atrium tribus ordinibus lapidum politorum construitur, quia spiritualis vita ex incipientibus, proficientibus, & perfectis coalescit: & vno ordine lignorum cedri, quia in his omnibus, vna perseverantia in bono requiritur.

Signatur ergo vita spiritualis in atrio, quoniam sicut illud, medium est inter plateam, aut viam publicam, & interiorem domum, atque aliquid vtriusque participat: ita spiritualis vita, media est inter vitam naturalem atque caelestem, & aliquas mutatur ex vtraque functiones. Maducat, & dormit, & quiescit, vt illa; laudat Deum, amat, & famulatur, vt ista. Vel vt verius dicam omnia haec praestat, neque vt illa: Nam modum deserit, licet substantiam operis teneat. Quia non cibum sumit, nec somnum

A admittit, nec aliis necessitatibus corporalibus vacat, sicut vita carnalis, vt curam faciat: carnis in desiderijs, sed vt carnem seruans, instrumentam mentis conferuet, sine quo, neque orare, neque psallere, neque virtutis opera exercere potest. In his occupatur actionibus, vt deliciat, videns tantam altitudinem, ad tantam miseriam illigatam, vt Deo obediat, & in actionibus spiritualibus adiuetur. Sicque illud exequitur Pauli documentum: siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Nec ita Deum laudat, creatorem diligit, & feruidis famulatur obsequijs, vt vita caelestis, quae ab omniabe pura est, a corporis miseriis aliena, & ab omni onere curarum temporalium expedita. Nostra autem vita, quantumuis spiritualis sit, quantumuis in caelum efferatur, & in res diuinas rapiatur, numquam corporis necessitates valet abicere. Quod lepidè quidam fenex, apud Cassianum, cum quibusdam philosophis disputans hoc simile declarauit. Multis (inquit) creditoribus pater meus me reliquit obnoxium, ceteris ad integrum solutus, ab omni sum eorum conuentionis molestia liberatus, vni satisfacere quotidie soluendo non possum. Quod aenigma cum illi non intelligerent, his ille verbis explicuit. Multis vitijs sui naturali conditione restrictus: sed inspirante Domino desiderio libertatis cunctis illis tamquam molestissimis creditoribus renuncians, huic mundo, & omnem substantiam, qua: mihi successione patris obuenerat, pariter à me abiciens, satisfeci, atque ab eis sum omnimodis absolutus: Gastrimargia vero stimulis, id est, ventris ingluuie nullo modo carere praualui. Neque enim quamuis eam in paruum modum, vilissimamque redegerim quantitatem, vim quotidianae compulsionis euado, sed necesse est me perpetuis eius conuentionibus perurgeri, & interminabilem quandam solutionem iugi functione dependere, atque inexplebile in ditionibus eius inferre vestigal. Haec ille, non minus verè, quam festiuè. Ex his ergo habemus, opera mala, siue graua sint, siue leuia, longe à vita spirituali abhorre, opera autem tam bona, quam media ex bono sine suscepta (quaeque in suo ordine,) ad spirituales, ac studiosam vitam spectare.

1. Cor. 10.
31.

Cassian.
col. 5. c. 11

Quem finem habere debeant opera vite
spiritualis.
CAPVT VII.



ED, vt praedicta opera, tam bona quam media, tam spiritualia quam corporalia, tam nobis quam fratribus seruientia, vitam spiritualem efficiat, eiusque sint velut partes, & membra; operae pretium est, vt in Deum dirigatur, eumque tamquam finem, & scopum respiciant. Opus enim spirituale utique bonum, ac studiosum esse debet, nam si malum sit, eo ipso est opus carnale, id est, ad vitam mundanam pertinens, & in finem huius vitae, quae mors est, suum effectorem adducet. Vt autem opus bonum sit, non satis est, vt ex sua natura fructus virtutis sit, sed necessarium est, vt in finem virtutis ordinetur. Nam finis distortus potest totam actionem, alioquin bonam, inficere, & eius pulchritudinem omnino fedare, dicente Domino: Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Oculum istum totam actionem fuscantem esse prauiam intentionem, ita docet Gregorius. Quid per oculum exprimitur, nisi opus suum praueiciens cordis inté-

Matt. 6.
13.
Greg. 28.
mor. c. 6.

tio: quæ priusquam se in actionem exerceat, hoc iam quod appetit, contempletur? Et quid appellatione corporis designatur, nisi vnaquæque actio, quæ intentionem suam, quasi intuentem oculum sequitur? Lucerna itaque corporis est oculus: quia per bonæ intentionis radium, merita illustrantur actionis.] Et paucis interpositis, hæc de prauo sine subiungit. Et, si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit: quia cum peruersa intentione quid vel rectum agitur, & si splendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni iudicis obscuratur. Et in eandem sententiam Richardus Victorinus. Quod autem esse corpus sine vita, hoc est opus sine intentione bona. Quælibet ergo actio, quamuis bona videatur, quasi mortua iudicatur, nisi per consilium ad intentionem bonam animetur.] Confir- mat hoc sapienter Bernardus, dicens: Duas spon- sas genas, quæ de pulchritudine à Christo sponso lau- dantur, esse rem, & causam: nomine rei, substantiam operis, & nomine causæ, finem, siue intentionem intelli- gēs. Ex his sanè duobus (inquit) animæ vel decor vel deformitas iudicatur: vt (verbi causa) anime, quæ am- bo ista recta, atque pudica habuerit, illi meritò vera- citèrque dicatur: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turtu- ris.] Quæ verò altero horum caruerit, non poterit dici de ea, quòd pulchræ sunt genæ eius sicut turtu- ris, propter eam, quæ adhuc ex parte erit deformita- tē. Multò autē minus illi hoc poterit cōuenire, quæ neutrum horū habere laudabile inuenitur.] Vt igitur bona sit actio, atque ad eò ad vitā spirituale spectet, omnino necessarium est, vt bonum finem referat.

Et quidem cum vita hæc nobis fuerit à Christo monstrata, vt per eam sicut per quamdam scalam à terra in cælum protensam, ad veram & beatam vi- tam, quæ Deus est, post cursum huius mortalitatis, ascendamus, gradus huius vitæ, actiones scilicet bonæ, tales esse debent, vt nos in beatam vitam attol- lant, & in Deum auctore felicitatis adducant. Hoc verò minime facient si in prauos aut distortos fines desinantur. Scriptum est enim de illis, qui in virtutis operibus humanas laudes aucupabant. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.] Qui autem in terra mercedem terrenam receperunt, non est cur in cælo remunerationem cælestem expectent. Opus namque, cuius meritum gloriæ humanæ angustiis impletur, amplitudinē diuinæ gloriæ non capit. Ne itaque tam paruam mercedem, opinionem nempe, & laudem, apud homines pro magnis operibus recipiamus, ea sincerissime ordinemus in Deū, vt mē- suram bonam, & confertam & coagitatam, & super- fluentem immittat in sinum nostrum.] Ipse quidem Deus, non solum natura à nobis exprimendus est, quatenus menti impressam eius imaginem gerimus, verum etiam actionibus imitandus, si vitam spiritua- lem, suæque vitæ similem exoptamus. Quod Leo Papa illum versum Davidis explicans: Vniuersa via Domini misericordia & veritas,] his verbis eleganter expressit. Forma (inquit) conuersationis fidelium ab exemplo venit operum diuinorum: Et meritò Deus imitationem sui ab eis exigit, quos ad imaginem, & similitudinem suam fecit, cuius vtique dignitate non aliter potiemur, quam si in nobis misericordia inue- niatur, & veritas. Per quæ enim ad saluandos saluator aduenit, per hæc saluantem debent properare sal- uati.] Deus autem suarum actionum, non aliū quàm seipsum sibi finem proponit. Et meritò quidē; Nam vt verissimè Beatus Thomas annotauit: Cum Deus actione sua, quæ mundū vniuersum condidit, nullam sibi perfectionem quæsierit, reliquum est, vt tantum suam sapientiam voluerit, bonitatem, & potentiam

A manifestare, suasque diuitias in vniuersas res creatas effundere. Et hoc perspicuè legimus in Proverbiis: Vniuersa propter semetipsum operatus est Domi- nus, ad eò, vt eum, qui sua praua voluntate se fecit impium, ordinauerit in diem malum, hoc est, in tē- pus ultionis, quo suam est iusticiam ostensurus. Vir ergo spiritualis, cuius hoc solum propositum est, Deum in iustis operibus imitari, ne ab isto consilio deuiet, necesse est, vt eundem finem sibi præscribat, & Deum intuens, in actionibus studiosis versetur. Nam cum humana opera naturam à sine sortiatur, qui contrarios fines habent, contrarias operationes exercent: Neque potest ille opera Dei imitari, quæ sunt misericordia, & veritas, cuius scopus est super- bia, & vanitas: qui non querit proximis subuenire, nec coram Deo in veritate se gerere, sed ipsam vanitatem, id est, inanem gloriam aucupari.

B Ob hanc causam spiritualis, & religiosa vita fuit in veteri lege eo genere sacrificij, quod holocaustū dicitur præsignata. Holocaustum quippe, quod totū incensum dicitur, non solum totum incendebatur, verum etiam totum in diuinum honorem consume- batur. Et eodem modo vita hæc secundum omnes actiones suas igne charitatis incēditur, & soli Deo in odorem suauitatis offertur. Vnde Gregorius. Cū quis suum aliquid Deo vouet, & aliquid nō vouet, sacrifi- cium est, cū verò omne quod habet, omne quod vi- uit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit. Ho- locaustum est.] Non ergo sufficit, vt vita hæc sit ho- locaustum, quòd tota in sanctis operibus occupetur, si non diuino numini consecratur. Quia quantum ex ea in alium scopum dirigitur, tantum ex holocausto surripitur, & ne cōburatur ab igne charitatis, detra- hitur. Sicut igitur carnales homines semper carnali- bus operibus distinetur, & ea in finem carnis impē- dunt: ita viri spirituales oppositā viam ingrediētes, actiones spirituales, & virtutis proprias exercent, at- que in finem referunt spiritualem. Vtrumq; Diony- sius Richelius mirè doctus, & mirè sanctus, quē pro- pter insignes raptus & extases, doctorem extaticum appellamus, lōgiori quadā, sed deuota oratione pro- sequitur. Cū enim dixisset, inter sacrificia veteris legis, holocaustum esse dignissimū, ita subiungit.

C Per quod religiosa præfigurabatur personæ, quæ ex charitatis feruore debent se ipsas totaliter Deo offerre, ac eius obsequiis mancipare. Idcirco, mo- rum suorū conuersionē Deo promittūt, vt si in saculo erāt superbi, iracundi, impatientes, pigri, gulosi, mundi, inanes, instabiles, inuidi, loquaces, auari, contentiosi, aut obloquentes, iam de cætero in claustro dignè conentur, & efficaciter studeat esse humiles, mālueti, patientes, seruidi, sobrii, cōcinentes, timo- rati, stabiles, charitatiui, silētes, pauperes, pacifici, & bene de proximis suis loquētes. Et qui antè temerariē iudicabāt, proximōsque spernebāt, atque ex le- uibus causis, ac signis suspicabātur mala de aliis, & verba, & facta proximorū interpretabātur in peius, iam de cætero ab omni incauto, temerario, vlturpato proximorum iudicio, prorsus abstinēat, discutiantq; iudicēt, ac diiudicent semetipfos, nec mala facilliter de aliis suspicentur, imò verba & facta ipsorū in- terpretentur in melius. Itaque ad morum cōuersionē pertinet singulas vires animæ reformare, in ver- bis, & actibus ordinatum consistere, interiores exte- riorēque sēsus reprimere, quatenus sicut religiosus totum quod est, & habet in animo & corpore, a Deo accepit, sit totū hoc ad Dei cultū, amorē & honorem conuertat, nec aliquid sui relinquat sibi, sed quam feruens & sollicitus fuit, aut esse potuit in saculo ad complacēdum hominibus, atque ad obtinendū pro-

E priam

Proh. 16
4.

Greg. 16.
10. sup
Ezech.

Dionys.
opus, de
presol.
Monast.
art. 6.

7.10.

Gian.
c. 11

Richard.
statu in-
terioris
hominis.
c. 7.

Bern. ser.
40. in cat.
Cant. 1.
20.

Matt. 6. 3

Luc. 6. 38

Psal. 24.
10.
Leo ser. 3.
quædange-
sima.

D. Thom.
1. 2. q. 4.
art. 9. 4.

Greg. 10. in
Euang.

Priam laudem, honorem, delectationem, & commo-
dum; (imò & multò plus) sollicitus sit, & feruēs in
claustro ad complacendum altissimo, ad vilipenden-
dum, ad castigandum seipsum, ad promouendū crea-
toris honorem, laudē, & gloriam.] Hæc Dionysius,
& optimè. Nam duæ vitæ istæ, spiritualis, & carna-
lis: duæ vitæ istæ, conuersio ad Deum, & auersio à
Deo; Duæ regiones istæ, paradysus, ad quem creati
sumus, & gehenna, quam pauemus, contrariæ sunt.
Sicut ergo à regione nostra (vt inquit Gregorius)
superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibū
veritum gustado, discessimus; sic ad eam necesse est,
vt flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque
appetitum carnis refrænando, redeamus.] Et sicut
in regionem istam proficisceremur, inanem gloriā,
& vitorum quærentes obsequium: ita in illum eun-
dum est, Dei gloriam, ac benedictiōem affectantibus.
Operationes enim si in hunc scopum spirituale vti-
que referantur, & spirituales erunt, & ad hanc vitam,
quam profitemur, & pertinebunt.

Isid. 2.
25.

Ne verò causaremur deesse nobis exemplar huius
rectitudinis, qua omnia nostra opera sunt in Deum
destinanda, dedit ipse electis suis Doctorem Iustitiæ
Christum Iesum, qui doceat eos, non solum iusta e-
xequi, sed etiam iuste operari: & descendere faciat
ad illos gratiæ imbrem matutinum, & serotinū. Ma-
tutinū quidem, quod iustorum corda præueniat, &
serotinū, quod ea comitetur, & subsequatur, ne in
principio bonorum operum, aut in medio ipsorum,
aut fine, à debita sibi destinatione deficiant. Hoc
autē erit sicut à principio. Nam quemadmodum in
statu innocentiae homines vniuersas actiones suas
purissimè in Deum retulissent; ita & nunc in tempo-
re gratiæ erudiuntur, ab hoc iustitiæ præceptore ead-
dem actiones in eundem scopum & finem referre.
Hoc, inquam, docentur ab ipso, tum verbo, tum vitæ
sanctissimæ exēplo. Verbo quidē, dum ait: Attende,
ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus,
vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habe-
bitis apud patrem vestrum, qui in cælis est.] Exēplo
autē: Quia ego (inquit) non quæro gloriam meam,
est qui quærat, & iudicet.] O verbum magnæ con-
solationis! ò sententia dulcior melle, & sauo suauior.
Nam si quod accepit caput, speramus & membra, si
non glorificauerimus nos, nec inanes laudes ex bo-
nis operibus quæsierimus; si quorundam irrationes,
aliorum verò detractiones sustinuerimus: Est Deus
vtique summæ potentiae, qui gloriam nostram quæ-
rat, qui bona opera præ modeltia abscondita mani-
festet, & nos in conspectu Angelorum, & hominum
gloriosos efficiat. Est Deus vtique summæ iustitiæ,
qui nos contemnentes, contemnat: persequentes,
puniat: & subsannantes, irideat. Si itaque spiritua-
lis vita est imitatio vitæ Christi, & huius doctoris
iustitiæ sequela, & ille (vt ita dicam) spiritualior est,
qui ad Christi vitam propius accedit: manifestum
est, vitæ spiritualis actiones, si hoc suum principium
non deserant, nec ad vitam mundanam transferan-
tur, in finem diuinæ gloriæ esse destinandas, quem
Christus ipse suorum operum finem præfixit. Sicut
enim non imitatur regem pro republica præliantem,
qui præliatur, vt rempublicam, vel urbem euertat; &
licet vtraque dimicatio videatur natura similis, est
tamen ratione oppositi finis vna akeri omnino con-
traria: Ita non imitantur Christum, qui orant, qui ie-
iunant, aut verbum Dei seminant, si gloriam, & lau-
dem propriam venari appetunt, prorsus diuinæ glo-
riæ contrariam. Nam ignorantes iustitiam Dei, &
suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt sub-
iecti.] Illi verò Christum imitantur, & vitam spiri-

Rom. 10.
3.

A tualem arripiunt, qui quod ille fecit, & ipsi faciunt,
& eodem fine faciunt, nihil aliud optantes in studio
virtutum, nisi vt ei placeant, cui se totos consecra-
runt.

Si itaque cupis vitam spiritualem tenere, non so-
lùm animaduertas quid agis, sed quo animo, & quo
fine id agis, non solum enitaris, vt opus sit bonum,
sed vt intentio & destinatio sit bona. Cùm oras, vel
psallis, cùm ieiunas, vel comedis, cùm vigilas, vel ad
somnia tuum corpus componis, cùm doces, aut
verbum Dei seminas, & tãdem dum quippiam aliud
facis, erige oculos cordis ad Deum tuum, & dicit
illi, Domine, inanem gloriam contemno, commodi-
tatem, aut voluptatem sperno, me ipsum, & omnia
mea pro nihilo duco, te solum quæro, te cupio, & ti-
bi soli in hoc opere placere desidero. Hæc sit gloria
mea, hæc diuitiæ meæ, hæc delectatio mea, hoc præ-
mium laborum meorum vt tibi placeam, licet vni-
uerso mundo displiceam. Hanc intentionis rectitu-
dinem capessendam esse in initio dici, docet Laurentius
Iustinianus his verbis. Omnes igitur Christi ter-
tium, cuncti Deo placere cupientes, primordia dici, &
actionum conentur consecrare altissimo, quatenus
cetera secutura opera à suo nõ declinent principio.
Vnde mox, vt à somno euigilant, semper cor sursum
erigere contendant. Prima vox, prima cogitatio, pri-
mus affectus, diuinam resonet laudem, ingitiam ad
Deum dirigat supplicationem, & illi se sincero corde
committat, qui valet potenter de imminentibus pe-
riculis liberare.] Non tamen debet amator perfe-

C ctionis, hæc prima suorum operum oblatione satiari,
sed in principio cuiuscumque actionis, & si longa
sit, in progressu illius, eam creatori suo offerat, & in-
genti voluntatis affectu soli Deo placere per suum
laborem exoptet. Hæc faciens, & vnitatem in con-
gregatione procurans, custodit vigilias noctis super
gregem suum. Vnde Bernardus: Prima vigilia est re-
ctitudo operis, vt ad bene, quam iurasti regulam, om-
nem vitam exæquate coneris, nec transgrediar ter-
minos, quos posuerunt patres tui, in omnibus viæ, &
vitæ huius exercitiis, non declinas ad dexterā, ne-
que ad sinistrā. Secunda, puritas intentionis, vt sim-
plex oculus totum corpus lucidum faciat, vt quic-
quid feceris, propter Deum facias, & ad locum, vnde
D exeunt gratiæ, reuertantur, vt iterum fluant. Tertia
est custodia vnitatis, vt in congregatione positus, vol-
untates, aliorum, tuis voluntatibus anteponas, vt nõ
solum sine querela, sed cum gratia inter fratres ma-
neas, portans omnes, orans pro omnibus, vt de te
quoque dicatur, Hic est fratrum amator, & populi
Israël, hic est qui multum orat pro populo, & vni-
uersa sancta ciuitate Hierusalem.] Qui has vigilias
custodierit, tamquam vitam spirituale Deo gra-
tissimam cõsecrans, paratus inuenietur in postremo
die, & cum virginibus prudentibus intrabit ad nu-
ptias, & admittetur in gaudium Domini sui.

Laus. Iust.
lib. de dif-
cip. &
perfect.
monast.
con. c. 10.
ad finem.

Bern. ser-
3. in vigil.
natuui.

1. Macha.
15. 14.

Qua regula sint opera vitæ spiri-
tualis examinanda.

CAPVT VIII.



ON satis est, vt opera nostra ad vitam
spirituale pertineant, quod ex genere
bona sit, & ad debitū ac bonum finē
destinentur, sed aliud præterea est ne-
cessarium, quod duæ regulæ siue do-
cumēta patefaciēt. Nam cùm vitæ spiritualis opera,
aut ex natura sua bona sint, aut media, vt præfati su-
mus: In bonis hæc regula tenēda est, vt ordo in illis,
& modus, & discretio, & perseverantia seruetur.

Ordo

Ordo est, ut præcedat illa, quæ debet præcedere, & quæ debent subsequi, subsequantur. Manifestum est enim prius nos vacare debere his actionibus, quæ præcepta sūt, aut his ad quas ratione status, aut muneris tenemur, quàm aliis sub cōsilio cadentibus, & libera à nobis volūtate susceptis. Et qui ob actiones istas in cōsilio positas, illas à Deo iustas, aut omittet, aut oscitater, propereq; præstaret. similis esset illis, quibus dixit Dominus: Væ vobis Phariseis, qui decimatis menthā, & rutā, & omne olus, & præteritis iudiciam, & charitatem Dei. Sicut enim isti minora decimabant, & magna Dei præcepta nō adimplebāt, ita prædictum actionum bonarum ordinem omittentes, à se minimè postulata offerūt, & iustā ac imperata contemnunt. His incuriosis in obediendo, & superstitiosis in offerendo, quod non valde necessarium est, dicit Dominus illud Isaiæ: cum veneritis ante cōspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris? Nō quia opera quæ sunt in cōsilio Deo displicāt, absit, sed quia crassa istarum omisso, aut negligens executio præceptorū non placet. Hūc ergo bonarum actionū ordinem seruabat Beatus Iob, ita de se ipso inquit: Iustitia indutus sum, & vestiuī me sicut vestimēto, & diademate iudicio meo. Oculi mei sicut cæco, & pes claudō. Quem locū interpretās Gregorius sic ait: Cum sancti operis exempla pensamus, intueudum nobis prius est, quàm rectus narrandi ordo seruetur, ut ante iustitiā, & post, misericordiæ opera describātur. Ille quippe bene agit, quæ pia sūt qui seiprius seruare quæ iustā, ut collatus in proximos riuus misericordiæ, de iustitiā sote ducatur. Nā multi proximis quasi opera misericordiæ impēdūt, sed iniustitiā facta nō deserūt. Qui si veraciter proximis misericordiæ opera facere studēt, sibi ipsis debuerant prius iuste viuēdo misereri. Itaque ordo est, prius præcepta seruare, deinde cōsilia exercere, prius meliora, & Deo gratiora exequi, licet minus sapiāt, postea minora, & minus grata, licet magis arideant.

Modus est, ut bona opera seruēter & quietè exercēantur. Feruens est, qui eam curā, & diligentiam bonis operibus adhibet, quā rebus magni momenti, & in obsequium summi Dei factis adhibere debet. Ille sanè à Domino ex Sanctis eius, in postremo die honorem accipiet. Hoc namq; Salomon testatur, dicens: Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, neque erit ante ignobiles. Cum regibus stare est, sanctis Apostolis, Martyribus, ac confessoribus annumerari: & nō esse ante ignobiles, est, in cætu pigrorum, & socordium non inueniri. Quietus est, qui cuiq; operationi tempus necessariū attribuit, neque ut ad aliā veniat, in huius exercitatione festinat. Qui enim semper, quod non facit, appetit, & quod facit fastidit (inquit Hugo) nec præsentibus fruatur nec futuris satiatur. Inchoata enim ante consummationem deserit, & inchoanda ante tempus apprehēdit. Propterea bonum est, bono suo esse contentum, & præsentia bona superuenientibus bonis augere, nō pro futuris abiicere. Leuitas enim, est bonorum cōmutatio: exercitatio autem, virtutis, multumq; diuersa currunt via, qui pro nouis vetera abiiciunt, & qui ab inferioribus ad superiora conscendunt. Qui enim mutationem quærit, fastidiosus est, sicut qui profectum appetit, studiosus est. Rectissime ergo incedit, qui sic est seruens ad melius, ut in bono non sit fastidiosus, sed sustineat prius, donec posterius tempore suo apprehendat. Modum igitur in bonis actionibus seruabis, si quando oras, tanta tranquillitate oraueris, ac si nihil tibi agendum restaret, si quando psallis, aut in studium sacræ Scripturæ incumbis, aut aliquid externum operaris, tanta animi

A libertate facias, ac si nihil tibi faciendum superesset.

Discretio est, si opera bona, quando præceptum non instat, pro utilitate, aut ædificatione aliorum, aut omitantur, aut in aliu tempus differantur. Si quæ omnibus fratribus communia nō sunt, nō apud omnes in loco publico, sed quantum fieri poterit seorsum & in cella, aut in loco secreto fiant: Si denique eo modo exerceantur, ut nullus fratrum nostris singularitatibus offendatur. Nam opus bonum differre, vel pro utilitate aliorum in totum omittere, quando non est præceptum, non est iter perfectionis deferere, aut in illo sedere, vel sistere, sed potius alio modo secretiori currere, & in finem charitatis festinare. Quod testatur Thomas à Campis, in hæc verba. Pro nulla re mundi, & pro nullius hominis dilectione, aliquid malum est faciendum, sed pro utilitate tamen indigentis, opus bonum aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum. Hoc enim pacto opus bonum non destruitur, sed in melius commutatur. Illud autem abscondere, quando non est omnibus nostri status commune, est implere documentum Saluatoris, Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua] & nos ipsos à telis inanis gloria defendere. Vnde idem piissimus pater ait: Quam tutum pro conseruatione cælestis gratiæ humanam fugere apparentiam, neque appetere, quæ foris admirationem videntur præbere, sed ea tota sedulitate sectari, quæ vitæ emendationem dant, & feruorem. Quam multis nocuit virtus scita, ac propere laudata! Quam sanè profuit gratia silentio seruata, in hac fragili vita, quæ tota tentatio fertur, & malitia.] Et denique modum communem in operibus bonis tenere, neq; ad singularitates deflectere, neque insuetas cæremonias admittere, & charitatis bonum, utique multo pretiosius in congregatione seruare. Nescio enim quo pacto alij fratres illum auerfantur, quem vident veluti communia spernere, singularitatem sectari, & sua indiscretione se ipsum à cætu aliorum, quasi alienum efficere. Hanc singularitatem fugere est (ut inquit Richardus) opera nostra media charitate sternere. Media hæc sunt (ait) opera de genere bonorum, opera scilicet communia, quæ & bono, & malo animo fieri possunt: Sicut sunt vigiliæ, ieiunia, orationes, & eleemosynæ, &c. Ista debent esse constrata charitate, ut scilicet in charitate fiant, & bonæ intentione. Et item, ut cum charitate fraterna ita fiant, ut infirmi in his non scandalizentur, vel infirmetur: sed ita strata sint, id est, tanta æqualitate, & discretione facta, ut incedat anima in his omnibus sine querela, & opportune nonerit illa exercere, & iterum intermittere. Bene ista media charitate constrata erunt, si ita fuerint ordinata.]

C Perseuerantia est, si bonum, quod semel cœperis, nunquam sine causa dimittas. Inconstantis nāque animi indicium est, cœpta relinquere, iam hoc exercitij genus, iam illud appetere, & nūquam in aliqua bona actione consistere. Mane igitur semina seminum (inquit Ecclesiastes) & vespere non cesset manū tua. Mane seminas si bene incipias, & vespere nō cessas, si quod iam cœpisti prosequaris, & nūquā leuiter derelinquas. Hanc in bono constantiam suadet Bernardus, dum cōsciētiam lectulo, & bonas actiones floribus cōfert. Ut sicut lectulus floridus est, cū ablatiis marcidis floribus, aliq; recetes, & bene olētēs succedūt, ita cōsciētia mūda, & quasi florida est, ut in ea Christus spōsus requiescat, quādo perfectis istis bonis actionibus, similes alias incipimus, & amore Domini instāmati quotidie quasi vitā spirituale inchoamus. Bernardi verba sūt. Quod si lectul⁹ resperisus floribus, cōsciētia est bonis referta operib⁹, vides

E

Thom. à
Camp. lib
1. de viti-
tat. Chri-
c. 15.

Matth. 6.
3.

Idem lib.
2. c. 50.

Richard. in
cant. c. 12

Eccles. 1.
6.

Bern. ser.
47. in cōt.

2. Cor. 9. 6.

certè, vt similitudo seruetur, nequaquã sufficere semel vel secūdò operari, quod bonū est, nisi incessanter addas noua prioribus, quaten⁹ seminās in benedictionibus, de benedictionibus & metas. Alioquin iacet, & marcet flos boni operis, atque in breui omnis ex eo nitor exterminatur, & vigor, si nō aliis, atque aliis superiectis pietatis actibus, cōtinuè reparatur. Hec quæ diximus, interim pro regula bonarū actionū seruentur; in alio loco istius tractationis, prolixius disputanda.

In medijs autem actionibus, hæc regula custodiat, vt ex quibuidam tantundem quis sumat, quantum dura necessitas exigit, ex alijs verò tantum accipiat, quantum prudēs charitas poscit. Sūt enim duo genera actionum corporalium, alterū, quod corporibus nostris impeditur, alterū, quod proximis erogatur. Illud, vt cum mācipio isti vilissimo cibos ministramus, indumentis ipsum fouemus, remissione reficimus, morbos imbecillitatesq; curamus. Istud, vt dum proximos alloquimur, eorum negotia tractamus, ac in necessitatibus subuenimus. Illa opera meritiar necessitas, vt scilicet talis sit cibus & potus, tū qualitate, tum quantitate, talis sit vestis, tū pretij vilitate, tum pāni asperitate, talis sit intermissio, & recreatio, tum raritate, tum modo, nō qualem tepidus animus, & sui oblitus exigit, sed qualē religiosus status, & imbecillitas corporis, aut resumptio viciū admittit. Christus enim Dominus recreabat, non alijs esculentis, quā pauculis panibus hordeaceis, & piscibus in conuiuium se sequentium receptis. Et Elias corui ministerio, & iterū subsidio viduæ pauperculæ fuit parualo pane refectus. Vt discamus, qui sequimur Christum, & qui prophetarum more verbū Domini prædicamus, non ciborum lautitias, non vestium luxum, sed paruam vilissimī cibi mēsuram, & asperum saccum, aut certè religiosam v estem indicē penitentiæ, & humilitatis ad cōtegendū corpus, amare.

Ioan. 6. 11.

3. Reg. 17.

Ita verò opera, quæ vltimū proximorum respiciūt, charitas moderetur. Vt nimirum eas fratrum alloquutiones admittamus, ea secularium negotia tractemus, his necessitatibus subueniamus, quæ & statui religioso congruant, & propriæ perfectioni nō officiant. In quo non deest nobis Christi seruatoris, quod imitemur, exemplum. Ille nāque infirmos curabat, ignaros instruebat, verbum Patris peccatoribus annunciabat, & alijs huiusmodi operibus intēdebat, quæ animabus in suum creatorem reducendis vtilia erant, atque fructuosa. Cum autem quidam de turba eum ad diuisionem hæreditatis vocauit, cuius causa cum proprio fratre litigabat, quadam iustissima indignatione commotus, ita respondit. Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?] Et ille iudex viuorum & mortuorum super re temporali dedignatur ferre sententiā, erudiens nos suos milites, & luæ vitæ imitatores, ne metas status nostri transilientes, negotijs secularibus implicemur.

Luc. 12. 14.

O vtiā omnes religiosi hanc regulam necessitatis, & charitatis attenderent, attendendo æstimator, æstimando custodirent, non esset in religionibus tāta distractio, & maior esset in monasterijs perfectio. Non frequentarēt religiosi lauta secularium conuiuia, non quærerent exquisitos cibos, nō carnes pretiosas, & delicatas, non sapores suaves, nec proprio ventri tamquam Domino deseruirēt. Abacici, & thecæ cilicia, & flagra recondent, non vina, nec dulciāmīna redolerent; quia hæc non necessitas postulat, sed gula, & luxus affectat. Hæc nō sunt vitæ spiritualis esculenta, sed vitæ secularis condimē-

ta. Non tam corpus reficiunt, quā animæ, & spirituali profectui officiant. Cum enim legas (vt inquit Hugo) deliquisse Ionatham in gustu mellis, Esau in edulio lentis, Sodomitas in saturitate panis, putas ne sine periculo esse, tot carniū ferculis, tot piscium generibus, tot fruxurarum diuersitatibus delectari? Nōne sic differt palatiū a refectorio, sicut Ægyptus a deserto? Si igitur in deserto fumus, mitandum est, si ollas carniū suspiramus.] Si necessitati religiosi subuenient, non cuperēt in veste delicias, in habitu humilitatis, minimè vanitatem requirerent, sed frigus pellere, seruatēq; pudicitiam exoptarēt. Quia tamē non hoc, sed blanditias concupiscunt; tūc in habitu (vt inquit Bernardus) non iam calor, sed color requiritur, magisq; cultoi vestium, quā virtutum insistitur. Puder dicere, vincūtur in suo studio mulierculæ, quando a monachis pretium affectatur, in vestibus, non necessitate, nec saltem forma religionis retenta in habitu ornari; non armari appetunt milites Christi, qui dum se præparare ad præliū, & cōtra aëreas potestates prætendentes paupertatis insignia debuerāt (quod vtiq; aduersarij valde formidant) in mollitie vestimentorum pacis potius prætendentes iudicium, vltro se hostibus, sine sanguine tradunt incermes.]

Hugo. 2. de clau. anima c. 19.

Bern. ho. 4. sup. Miss. ef.

Si tandem quærerēt charitatem, quæ a nobis ipsis debet incipere, nō tot sustinerent mundanorum vana colloquia, non lites seculares audirent, non nuptias, & carnalia connubia, sed spiritualia conciliarent. Non admitterent esse principes principū, gubernatores populorum, patroni delinquentium, testamentorum exequutores, aduocati causarum, quia istas distentiones non effragat charitas, sed tædium cellæ, lectionis, & orationis exposcit. Hoc vitium Bernardus, eodem loco, non prætermisit. Video alios (ait) quod non sine dolore videri debet, post aggressam Christi militiam, rursus secularibus implicari negotijs, rursus cupiditatibus terrenis immergi. cū magna cura erigere muros, & negligere mores; sub prætextu quoq; communis vtilitatis, verba vendere diuitibus, & matronis salutationes; sed & cōtra Imperatoris sui edictum, concupiscere aliena, & sua cū lite repetere; non audientes Apostolum, ex imperio regis tubicinantem. Hoc ipsam (inquit) delictum est in vobis, quod causas habetis, quare nō magis fraudem patimini?] Itane mūdum sibi, & se mūdo etq; cūixerūt, vt qui antea vix in suo vico, vel oppido cogniti fuerāt, modò circūeuntes prouincias, & curias frequentantes, regum notitias, principūq; familiaritates assequuti sunt?] Concludamus ergo, reliqua suo loco referuantes; Vitam spirituale ex fletu peccatorum, ex mortificatione vitiorum, ex cohibitione prauorum affectuum, ex acquisitione virtutū, ex iurgi lectione, & frequētī oratione, & ex alijs operibus spiritualibus, quæ vtilitati animarum inseruiūt, esse contextam; opera verò corporalia eatenus in illa cōprehendi, quatenus iustæ necessitati, aut prudenti, & non insipienti charitati deseruiunt. Qui enim sic in sua vita procedit, & in statu religioso se gerit, vit spiritualis iure potest appellari. Quod his verbis Laurencius Iustinianus declarat Spirituales viros, illos arbitror esse dicendos, qui carnales habēt edomitas voluptates, carnem spiritui, mentem rationi, deuotioni affectum, intentionemq; animi æternæ substernūt dominio sapientiæ. Hæc quippe est regula disciplinæ celestis, hæc, inquit, est spiritualis forma virorū, & quotidie proficientium in idipsam. Tales igitur esse cudent, qui seculum reliquerunt, vt Domino in cordis simplicitate seruiant; & vitam spirituaalem, & religiosam sibi sponfam dilectam adiungant.

Bern. ho. 4. sup. Miss. ef.

Bern. libid.

1. Cor. 6. 7.

1. lib. de obed. c. 16.



De quinque gradibus vite spiritualis, qui ad incipientes pertinent.

CAPVT IX.

ACTIONES virtutis ex predicto fine susceptae, & ad praefatam normam efformatae, nos in sanctitatem efferunt, ac in mentis proueniunt puritatem. Ut enim aliae artes ac scientiae iteratione propriorum actuum addiscuntur, ita haec ars praestantissima Deo famulandi, & haec vera scientia, quae sola homines sapientes efficit, studiosarum actionum repetitione perficitur. Et ille peritior euadit, & sanctior, qui amplius in his se exercet actionibus, ac maiori contentione laborat. Quis namque ditior est? Nonne qui multiplicatis negotiationibus, maiora quotidie pecuniarum recondit augmenta? Et quis citius ad metam sui cursus accedit? Nonne ille qui perniciosis passibus in finem sibi destinatum contendit? Eodem profus modo, qui accuratius se in virtutis exercet actibus, breuiori compendio perfectionis culmen assequitur. Hac cura bene studiosaeque operandi anima, non repetere prodit perfecta, sed quibusdam veluti gradibus spiritualis vitae, in eius perfectionem ascendit. Cum autem terminus, ac meta huius vitae sit, illa beata, & sempiterna vita, quam speramus, tales sint illi gradus necesse est, ut nos in vitium finem euehant, & in vitam beatam extollant. Sed haec felix vita, templo illo magnifico adubrata fuit, quod pacificus Salomon in honorem, ac cultum Domini extruxit. Vnde (inquit Venerabilis Beda) mysterium ascensionis huius templi commemorans. Legimus, quod ad templum illud, quod Salomon ad honorem Domini aedificauerat, quindecim gradibus ascendebatur, quod non vacat à mysterio. Templum enim illud praefigurabat templum illud, quod in caelesti Ierusalē aedificat Dominus ex viuis lapidibus, ad quod quasi quindecim gradibus ascenditur. Idem confirmat Gregorius, dicens: Per quindecim verò illius templi gradus, spiritualis sanctorum signatur ascensus.] Ut ergo res gesta congruat mysterio, quindecim gradus vite spiritualis, quibus ad caelestem vitam ascenditur, assignemus. Merito verò in huiusmodi gradibus numerum istum admittimus, siquidem (ut docet Hieronymus) quindecim gradus sunt, per quos ad canendum Deo, & in atris eius consistendum, iustus ascendit. Et ideo apud Petrum quindecim diebus Paulus habitat, ut ostenderet, se cum eo contulisse plenam scientiam, consummataque doctrinam. Haec autem non est alia quam doctrina spiritus, cuius ademptione sapientes sumus, & diuinam claritatem assequimur. At quindecim gradus templi in tres ordines erant diuisi, ita ut post quinque gradus aliquod esset maius, & latius spatium in quo ascendentes requiescerent, quod etiam post alios quinque gradus inueniebatur. Qua graduū distinctione nobis innotuit, gradus vite spiritualis in tres quoque ordines esse diuisos. Quorum primus ad incipientes pertinet, secundus ad proficientes spectat, tertium verò perfecti conscendunt. Esse namque in spirituali vita tres status, incipientium, proficientium ac perfectorum, Gregorius satis euidenter insinuat, dicens: Tres sunt modi conuersorum, inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem inueniantur blandimenta dulcedinis, in medio quoque tempore certamina tentationis: an extremum verò, perfectio plenitudinis. Et alio loco: Aliud sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio.] Eisdem status Hugo Victorinus agnoscit, & in Ioseph virginis spōso, & Samuele, & Iacob praefignatos existimat. Possunt (inquit

A per hos tres homines, tres hominum species designari moraliter. In Ioseph incipientium, in Samuele proficientium; in Iacob perfectorum. Monetur incipientes, ut fugiat, docetur proficiens, ut corripatur, inuitatur perfectus, ut recipiat. Ioseph, inquam, cui dicitur, ut cum puero, & matre fugiat in Aegyptum, incipientes signat, qui mundum debent fugere, & à terrenis sollicitudinibus declinare. Samuel verò, qui ascendit in Silo, & moratur in templo, denotat proficientes, qui habitant in templo cum cor suū sanctis meditationibus exercet, aperiunt ostia templi, cum alios docent: loquuntur ad Heli, cum de emendatione fratrum prelatum monent: & regunt multitudinem, cum subditos disciplinae lege coercunt. Iacob denique qui filius est Isaac, & Rebeccae, perfectos significat, qui gaudij spiritualis, & patientiae temporalis sunt filij, & gaudium habent in contemplatione, ac patientiae virtutē in tribulatione.] Haec omnia Hugo, & alia multa latissime. Meminit, & horum trium statuum Beatus Maximus, dicens: Scriptura sacra hos qui introducuntur, & ad vestibula diuinæ virtutū aulae prostrat, vocat mentes; eos autem qui comparauerunt habitum verborum, & morum, virtuti congruentium, nouit appellare proficiētes: at qui per cognitionem iam peruenerunt ad fastigium virtutis experimentis veritatis, illos nuncupat perfectos. Quod si in singulis templi gradibus, singulos Psalmos sacerdotes cocinebant: ut fert Hebraeorū traditio, ut magis sedi Domini appropinquantes aliquid perfectius postularēt, Videamus & nos an primos horū quindecim Psalmorum versiculos, quos graduales vocamus, singulis possimus vite spiritualis gradibus adaptare. Multa enim sunt in diuinis literis occulta mysteria, quae Dominus quādo vult, & quibus vult aperit, & aliquādo ignorantes illustrat, si propriam ignorantiam agnoscerent, & imperitiam confitentem, diuinū auxilium implorent. Incipientes ergo in via spiritus sunt, qui vitam spirituales incipiunt, & à malis vite carnalis recedunt, & hi quinque primos gradus conscendunt. Primus gradus est, cum diuinæ amicitiae, ac familiaritatis magnitudine allecti, graui peccata deserunt, & à Deo pergrauē crimen nunquam separari proponunt, firmissimeque hanc spirituales mortem vitare decernunt. Et merito hunc primum vite spiritualis gradum vocamus, nam qui infidelium Israelitarum more claudicant in duas partes, & iam sequuntur Dominum, iam procumbentes ante aras Bahal, diabolum venerantur, nec dum vite huius iter inceperunt, neque ad primum gradum peruenerunt. Egregie namque dixit Leo Papa: Moriendum est diabolo, & viuendum Deo, deficiendum iniquitati, ut iustitiae resurgatur, occumbant vetera, ut orientur noua.] Et volentibus ad vitam ingredi primum proponit Dominus, ut seruent mandata, nam sine mandatorum custodia ad gehennam itur, non in caelestem patriam conscenditur. Hunc primum gradum assequuta est Magdalena, eum cognoscens Dominum accubuisse in domo Pharisaei, se ad ablucendos, & unguendos illius pedes praeparauit, & vitam veterem abdicare disposuit. Beata illa, quae tam velociter festinauit, nam in primo perfectionis gradu ad Domini pedes accessit, & ad postremū euecta recessit. Hunc gradum, qui cupit oculis in caelum defixis, ita desideria sui cordis exponat, Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.] Haec enim est maxima tribulatio criminibus subiacere, quae non propriis viribus, sed auxilio Domini vincenda est. Ipse enim est eripiens nos à labiis iniquis Diaboli, qui nos decipiebat, & à lingua dolo-

o. 2. clau. 16 c.

ho. sp. est.

libid.

Cor. 6.

lib. de d. c. 6.

Beda in Psal. 119. scilicet. 8.

Gregor. in Psal. 6. poenit.

Hier. lib. 1. in Epist. ad Galat. c. 1.

Greg. 24. mor. c. 7.

Hier. 1. 5. in Ezech. Hugo lib. 2. de claustro anti. ma. cap. 9.

Maximus se. 1. de virtute sp. vitio. c. 68.

Leo ser. 1. de resurrex. Mat. 23. 17.

Luc. 7. 37.

Psal. 119. 1. 2.

sa, cōcupiscētiā, quæ nos carnis illecebris inescabat.

Secundus gradus est, cū incipientes, non tantū grauiā peccata fugiūt, sed à leuibz quoque peccatis abhorrent. Quæ licet omnino in hac morte vitali, vitare non possint, cū scripta sit: Nemo mundus à sorde, neque infans, cuius est vnus diei vita super terram; possunt tamen quotidie minuire; possunt in dies leuiora facere, possunt nullam ex malitia. & ex professo committere, possunt, quæ ignorantia, & infirmitate faciunt, statim cōfessione abluere, & amaris lachrymis deplorare. Istum autem gradum ille tenuit qui dicebat: Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me.]Necessitates istæ (inquit Hugo) molestiæ, & tentationes sunt, quæ ex carne proueniunt, & omnino vitari non possunt.] Quas, vt euadamus nobis proclamā lum est. Leuui oculos meos in mōtes, vnde veniet auxilium mihi: Auxilium meum à Domino, qui fecit cælū, & terram.] Nam manus Domini factoris cæli & terræ, est, quæ nos terrestres, id est, infirmos, in cœlestes cōuertet, & meditatio montiū, id est, vitæ sãctorū, sepe à leuidibus etiā peccatis abducat.

Tertius gradus est, omnium rerum externarum contemptio, & diuitiarum honorum, ac dignitatum derelictio: Cū scilicet quis hæc, vel affectu, & voluntate abiicit, illud Dauidis obseruans: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere,] vel si status ferat, actu & operatione derelinquit. Ad hunc autem gradum peruenerunt Apostoli, quando dicebant: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Omnia namque reliquisse est, vniuersa temporalia, quæ extra nos sunt, non solū affectu, sed actu etiam abiicisse. Et, duabus aliis præsuppositis, ab isto gradu vniuersi religiosi debent vt tam religiosam incipere. Sapienter enim dixit Laucticius Iustinianus, quosdam spirituales gradus enumerans. Ascensionis huius initium est, vt derelinquas tua, quo quietius habites tecum. Tecum autem habitare voluit Deus, quatenus in te spiritualiter discas abnegate te ipsum. Hoc nēpe si peregeris, diligenter interioris pacis, atque virtutis illectus dulcedine magni æstimabis crucē tollere, & ire post Christum.] In hoc autem gradu existēs canit. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domū Domini ibimus.] Videns, quod sibi ob hanc temporalium contempionem cœleste præmium promissum est. Nam ab hac sententia Dominus quemdam sermonem est exorditus. Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum celorum.]

Quartus gradus est, castigatio corporis, sēsus cōhibitiō, vniuersorumq; carnaliū mortificatio vitiorum, Cuius meminit Paulus dicens: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortē cū aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.] Hunc autē gradū omnes illi possidēt, qui delicias, & voluptates deserentes, corpus suum discreta quadam, & rationi cōsona mortificatione castigant, & omnia vitia cordis sui magno mentis feruore extirpare contendunt. Isti profectō habitum gestant militū Christi, quæ afflictio corporis est, & aliquod indicium properatium in cælū. Nam (vt inquit Basilius) vt optimus corporis habit⁹, & coloris bonitas, pugilē à cæteris distinguit, sic Christianum à cæteris macilentia corporis, pallorq; deflorescens, qui continentia veluti adiūctus est comes. Indicio est enim Christi mādatorum verē pugilē esse, qui in infirmitate corporis aduersarium suum in lucta prosternit, & quā potēs sit, in pietatis certaminibus declarat, cōueniētē verbis illius. Cū in infirmo, tunc potēs sum.] Istis se ita affligentibus, & sua corpora castigantibus, cōuenit lu-

mina in cælum attollere, atque ita dicere. Ad te leuauit oculos meos, qui habitas in cælis.] Dei enim contemplatio necessaria est, & cœlestium bonorum, quæ speramus consideratio, vt arctam penitentia viam alacriter arripiamus.

Quintus gradus est abnegatio proprii consilij, & propria conculeatio volūtatis: quam qui cū corporis, ac omnī vitiorū mortificatione, non fuerit confectatus, frustra bona externa contempnit, & vitam religiosam arripuit. Dedit enim Domino lutū auri, & argenti, & stercus diuitiarū, & gemmas iudicij, & volūtatis sibi retinuit. Dedit corpus suum, & postea quærendo delicia, & voluptates, iterum vsurpauit. Hæc est lepra cordis (inquit Bernardus) propria volūtatis, & proprium cōsilium. Lepra nimis pessima, eoq; perniciosior, quo magis interior. Quā Dominus nos vitare suo exemplo præcipit, dicens ad Patrem: Non meā voluntas, sed tua fiat.] Si enim Christus voluntatem bonam naturālē abiicit, vt meliori spiritui se subiiceret, quantō magis debemus nos, vt Deo subditi simus, malas voluntates abnegare? His autē, qui propriū iudiciū, & voluntatem deponunt, sequens Psalmus optimē cōuenit. Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis. Cū exurgerēt homines in nos, fortē viuos deglutissent nos.] Quoniam Dominus in corde eorum residens, potenter facit, ne ab hominibus, id est, a semetipsis, & à suis prauis voluntatibus deglutiantur, & aquis mærorū, quæ à propria volūtate manāt, absorbeantur. Hos tres postremos incipientiū gradus, sub nomine trium abrenuntiationū, Ioannes Cassianus elegatē expressit. Prima (inquit) est, qua corporaliter vniuersas diuitias mundi, facultatesq; contēnimus. Secunda, qua mores, ac vitia, affectūq; pristinos animi, carnisq; respiciunt. Tertia, qua nientem nostram de præsentibus vniuersis, ac vitiabilibus euocātes, futura tantūmodō cōtemplamur, & ea quæ sunt inuisibilia cōcupiscimus. Quæ tria, vt simul perficiantur, etiā Abrahæ legimus Dominū præcepisse, cū dixit: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui.] Primū dixit: Exi de terra tua, id est, de facultatibus mundi huius, opibusque terrenis. Secundō, de cognatione tua,] id est, de conuersatione & moribus, vitiisq; prioribus, quæ nobis à nostra natiuitate coherentia, velut affinitate quadā, & consanguinitate, cognata sunt. Tertiō, de domo patris tui,] id est, de omni memoria mundi huius, quæ oculorū occurrit obtutibus. Sic ille. Nec immerito hæc cogitationum abiectio, mortificationi voluntatis & consilij aptata est, quoniam sine illa, nemo noxias cogitationes abiiciet, neque mentis tenebit puritatem. Ecce gradus incipientiū, in quibus ascendendis satis habes, quod labores, & si nondum eos ascendisti, adhuc in paruulorum numero computaberis.

De quinque aliis gradibus proficientium in vita spirituali. CAPVT X.

SIC vt incipientes sunt, à malo recedunt, & vniuersa vitia cordis extirpāt, ita proficiētēs appellamus eos, qui in bono virtutis se exercent, & dona mentē exornātia, tū oratione, & gemitibus à Deo impetrāt, tū proprio labore diuinæ gratiæ subnixo, comparare nituntur. Postquam ergo religiosi viti infantiam vitæ spiritualis præterierunt, hoc proficientium stadium debent magna celeritate percurrere, quod in quinque gradus, aut ascensiones asserimus distributum.

Iob. 14. 4.
 Iuxta 70.

Psal. 24.
 17.

Hugo.

Psal. 120.
 1.

Psal. 61.
 11.

Matt. 19.
 27.

Iustin.

Psal. 121.
 1.

Matt. 5.
 3.

1. Cor. 9.
 27.

Basili. reg.
 17. ad finem.

2. Cor. 2.
 18.

Psa. 122.
 1.

Bern. ser.
 7. de resur.
 reit.

Luca 22.
 42.

Psa. 123.
 1.

Cassi. col.
 3. c. 6.

Gen. 12.
 1.

Primus gradus in vita spirituali proficiendum est, virtutum omnium acquisitio. Cum scilicet quis praedictis malis abiectis, virtutis decore exoptat, & humilitatis, mansuetudinis, obedientiae, vniuersorumque bonorum habituum iura custodit. Quorum praesidio, non tantum se continet, sicut cum in statu mortificationis residet, sed plane regnat, & cum magna tranquillitate suis affectibus dominatur. Hoc regnum omnino cupere debemus, vt in regno caelesti, plusquam commune gloria assequamur. Ad quod nos monet Richardus Victorinus, qui propositis duobus regnis, temporali, quo quis praestit hominibus, & spirituali, quo suis affectibus imperat, ita subiungit. Sed illud vitare, & fugere omnino oportet, sicut magistra veritas proprio exemplo nos docet: Istud autem debemus desiderare, & querere, & cum summo desiderio postulare, & cum propheta supplicare: Da imperium tuum puero tuo. Quod autem Dauid hoc spirituale regnum postulerit, ita confirmat. Numquid nam quaelo animam prophetalem tanta ambitionis credere oportet, vt regnum Israeliticum a Domino peteret, & ab eiusmodi eum petitione nec saltem pudor cohiberet? Sed si non potuit cohibere linguam, ne hoc peteret, cur saltem non prohibuit manum, ne tale aliquid scriberet? Sed ablit de anima tam sancta, & anima prophetica tale aliquid suspicari. Sed tale vtrique regnum, vel imperium de Domini pietate postulabat, vnde salutis suae prouentum, vel prouectum sperabat. Hoc ergo spirituale regnum virtutum affectantes, si confidunt in Domino, erunt sicut mons Sion, fortes & insuperabiles erunt: nam virtutum acie, omnes prauos subiicient affectus, & habitantes in Ierusalem, hoc est in statu perfecta virtutis, in quo tandem se ostentat pax, si perseuerare voluerint, numquam mutabilitatem, aut casum admittent. Montes quidem, hoc est, Angeli sancti, in circuitu eorum, quos vitae puritate sui similes esse conspiciunt, & Dominus in circuitu populi sui, illius scilicet, qui virtutum actibus meruit appellari populus Dei, ex hoc nunc, & vsque in saeculum.]

Ex hoc gradu ad secundum perueniunt, qui in hoc re vera consistit, vt illi, qui cura & labore virtutes acquisierunt, facti sint aliis virtutum exemplum. Indicium namque non cuiuscumque, sed excellentis cuiusdam virtutis est, inter bonos lucere, atque inter perfectos caput erigere: sicut Saul, qui stans in medio populi, altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum: & aliis, qui populo in exemplum virtutis dati sunt, maioris perfectionis semitas demonstrare. His optime congruit illud Pauli: Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salui sunt, & in his, qui perierunt. O admirabilis odor, qui Deo suavis est, & bonus bonis, & bonus etiam malis? Quibus tamen licet bonus odor sit, est odor mortis, quoniam bonorum exemplis non proficiunt, inter epulas sibi ministratas esuriunt, & ipsius lucis susceptione caecantur. Bonum quoque exemplum sua excellenti virtute praestates, canere possunt, In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Conuertente enim Domino eorum seruitutem, qua vitis seruiebant, in statum tam felicem, vt aliis etiam sint causa libertatis, & bonae vitae, quid ni consolentur? Quid ni os eorum gaudio, & lingua exultatione repleatur? Verè dicitur inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis, quia illos inter magnos, maiores fecit, vt tamquam soles quidam in medio astrorum resplendeant.

Non erit illis difficile ad tertium gradum ascendere, vt scilicet per ostensionem sanctissimae vitae, apud alios opinionem sanctitatis adepta, potentes sint verbo, vt quod antea opere docuerunt, valeant postea,

A sermone persuadere, & doctrina monstrare. Hic gradus secundum Gregorium, in Aegypti aduibratus est, qui dum erant liberi frumentum ad quod tantum impetrant, serui autem Pharaonis effecti, non tantum ad esum, sed etiam ad semen percipiunt. Sic enim nos liberi, id est, nostrae libertati, & voluntati vacantes, interdum verbo Dei paschimur, at serui Christi facti, & odorem virtutis ex nobis spirantes, verbo praedicationis in bonum aliorum replemur. Neque verò putandum est istum gradum ad solos doctos & literatos pertinere. Idiotarum namque, qui bono exemplo alios edificant, solent etiam verbo efficaci repleri, & oratione quadam simplici, agresti, & inculca, aliquando magis persuadent, & perfectius spiritus difficultates attingunt, quam alij, qui non in propria conscientia, sed in mortuis voluminibus res spirituales prelegerunt. Quare sapienter monet Cassianus, ne quemquam debere propriae scientiae fidere, neque imperitiam fratris illiterati contemnere. Quia saepe accidit (ait) vt ille interdum, qui actioris ingenij, scientiaque maioris est, aliquid falsum mere cocipiat, & ille, qui tardioris ingenij, ac minoris est meriti, rectius aliquid verumque persentiat. Sed ille, qui ex abundantia virtutis verba potentia, & efficacia ad persuadendum eructat, nequaquam sibi ipsi confidat; nam in isto gradu, ne in superbia rupem impingat, illum Psalmum sibi proferendum inueniet. Nisi Dominus edificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui aedificat eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Licet nos loquamur, Dominus tamen est, qui in audientium cordibus tela virtutis extruit; Dominus est, qui aedificata custodit. Itaque, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.]

Merito ergo quartus gradus proficientium erit, si postquam virtutes acquisisti, alios sodales tuos sanctitatis exemplo promouisti, & verbo virtutis ad omnem perfectionem incitasti, te ipsum sub pedibus omnium constituas; & tanquam vermiculum abiectissimum, omnium te infimum reputes, & versissima humilitate contemnas. Magna res humilitas, quae ipsa virtus existens, omnium est decor virtutum, exemplum sanctitatis, aliis exhibita perficit, doctrinam confirmat, & si deficiat, vniuersa dona, quae accepimus, periculosa reddit, atque suspecta. Rectè profecto dixit Richardus Victorinus: Maximus nempe est animae decor, si post omnium virtutum perfectionem, quis humilitatem possideat, & cum magni sit meriti, magni se esse nesciat. Magni se nesciebat Beatus Iob, qui dicebat: Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Parua quippe bona sua estimabat, quia sepe ad maiora feruebat. Qui & paulò superius, magna assuetudine affirmauerat, Magnum Antonium nulla virtute apud Dominum tam mirabiliter exaltatum, quae post tantos superatos labores, eximia humilitate, & sui ipsius versissima deiectione. Itaque vniuersis virtutibus comparatis, & magnis laboribus in conuersione animarum susceptis, te vilissimum, & abiectissimum reputas, neque honorem à fratribus, neque auctoritatem apud externos, neque priuilegia à praelatis exquiris, sed ac si esses rudis nouiti, te tractari, corrigi, & exercetui permittis, te supra tres praedictos gradus, ad quartum ascendisse non dubites. Beatus profecto eris. Quia beati omnes qui timet Dominum, qui ambulat in viis eius. Na qui sunt, qui timet Dominum, nisi humiles? Dicete Domino per Isaiam: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & tremetem sermones meos? Tremor iste est paupertatis, & correctionis spiritus, id est, humilitatis effectus. Et qui sunt, qui ambulat in viis Domini, nisi humiles? Cum ipse dixit

Richardus de conuersione seuerit. c. 31.

Psalm. 85. 16.

Psalm. 124.

1. Reg. 10. 23.

2. Cor. 1. 5.

Psalm. 125. 1.

Gregor. 6. mor. c. 16.

Cassian. co. 16. c. 12.

Psalm. 126. 1. 2.

1. Cor. 3. 7.

Richardus in cap. c. 3.

Iob 9. 21.

Isa. 66. 2.



Iohan. 14. 6.

Matt. 11. 29. Psal. 127. 2.

Gregor. 1. mor.

Tobia 12. 13.

Psal. 128. 1. 2.

Iob 31. 37.

viam nostram, imò ipse, qui est via, veritas, & vita.] duos A nobis ostenderit vias suas, mansuetudinem, & humilitatem, per quas post ipsum ambulemus, eiusque vestigia sequamur, dicens: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.] Isti re vera labores manuum suarum manducabunt, & quia manducabunt beati sunt, & bene sibi erit. Labores manuum suarum comedunt, quia, cum studio virtutum, & prædicationis cura honorem, aut laudem humanam non querant, quod proprium est superbiorum, & arrogantium, sed solam diuinam laudem exquirant, suis laboribus, tanquam cibis delicatis viuunt, nutriuntur, & spiritu sanctitatis intransantur. Ob id autem beati sunt in spe, quia & felicitatem suorum laborum præmium accipiet. Bene illis erit, cum præmium, quod in terra detrectarunt, in caelo possidebunt.

Non est autem hoc loco sistendum, sed ultra progrediendum est, ut scilicet, qui didicerunt humiliari, discant & sustinere. Solet enim quandoque contingere, eos, qui sanctè vixerunt, & alios suo exemplo, & doctrina iuuauerunt, non solum à malis, sed etiam à bonis, bono zelo, licet non secundum scientiam, persecutionem pati, suarum virtutum contemptum videre, suorum laborum obmurmurationes audire.

Quintus ergo gradus in vita spirituali proficientium est, si patientiam habeant, & detractiones, irrisiones, deiectiones mansuetè sustineant. Hoc autem maioris perfectionis esse quam si inter laudationes fratrum, & gratitudinem prælatorum labores virtutum teneret, docet Beatus Gregorius de Sancto Iob, dicens: Notum erat, quia seruire Deo inter dona nouerat, sed dignum fuit, ut districtio seueritatis inquireret, utrum deuotus Deo inter flagella permaneret.] Et sane non magnum mihi videtur laborare inter eos, qui nos laudant, & benefacere illis, qui nos amant, laudibus extollunt, & propter bona à nobis suscepta gratias referunt, sed valde magnum erit si inter persecutiones, & contemptus, & detractiones, incepto virtutum seruire, non lassescamus, neque locum nostrum deseramus. Igitur tu, qui ad quartum huius vite gradum euectus, in afflictione contristatus es, in persecutionibus cecidisti, in detractionibus defecisti, concipe animos, surge iterum, & captos labores prosequere. Quia enim acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tætaribus probaret tescis inter mala, & afflictiones in bono perseveras, verbis Psalmi sequentis poteris gloriari, sic tota animi deuotione decantans. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.] In iuuentute expugnatus es, hoc est, in statu proficiendi, qui iam pueritiam incipientium excessit, status autem iuuentutis, tempus est vitium, & fortitudinis, atque adeo tempus victoriæ. Ita adimplebis illud Iob: Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, & quasi principi offeram eum.] Nam in hoc gradu sine dubio difficiliore, & pleno laboribus, virtutem non deferens, innocentie tue sententiam, à Domino suo tempore ferendam pronuncias, & ipsi summo principi offers, dum ab illo omnia bona te habere cognoscis.

De quinque gradibus perfectorum in vita spirituali.

CAPVT XI.



Vt prædictos gradus vite spiritualis ascēdit, & ex amore Dei omnia, quæ diximus, opera virtutis exercet, tanquam in charitate radicatus, atque fundatus, potest vocari perfectus.

Nam perfectus est, (vt in sequenti tractatione dicemus) qui perfectam charitatem assequitur. Manifestum est autem tantum sui ac rerum terrenarum despectionem, tantam virtutum omnium excellentiam, tantam humilitatis, & patientie plenitudinem, sine perfecta charitate haberi non posse. Præsertim cum scriptum sit: Patientia opus perfectum habet.] Sed qui ita perfectus est, adhuc habet maiorem altitudinem spiritualis vite, ad quam Dei beneficio valeat ascendere, quam illi in quinque gradibus distributam proponimus.

Primus est, cum anima, orationis ac familiaritatis diuinæ secretum ingreditur, mente cum celestibus spiritibus commoratur, ac cum summo caelorum rege nouit miscere colloquia. In hoc gradu constituta, o bone Deus, quantum potest in sanctitate proficere, & se ipsam in dies magis, ac magis attollere. Hic externas occupationes minime necessarias deserit, colloquia cum hominibus, quæ vitari possunt, sine dispendio charitatis derelinquit, vt hanc nobilissimam occupationem orationis teneat, totoque intellectu, & affectu suo sponso dulcissimo copuletur. Hic, magnitudine huius diuinæ communicationis concepta, & omnibus temporalibus rebus spreis, sola spiritualia, & diuina concupiscit, his acquirendis intendit, illa in ore versat, mente reuoluit, & occupationibus ex obedientia, aut ex necessitate susceptis, prudenter immiscet. Hic, anima iam magis in oratione versata, sensuum ac spiritus operationes distinguit, cogitationem à ratione, & rationem ab intelligentia distinguit, Lumen naturale à supernaturali, amorem cordis ab amore voluntatis, & vno nomine, à corporalibus spiritualia discernit. Hic, consolationum differentias intelligit, & quæ à natura ipsa tenentur, atque benigna, aut à maligno spiritu immixta, aut ab Spiritu sancto prærogata sit, non difficulter aduertit. Nec non inter motus internos discrimen constituit, & quæ tentatio aduersarij sit sub specie boni, quæ verò inspiratio ab auctore bonitatis procedens, diuina luce persufa cognoscit. Hic aliquando ita species corporeas derelinquit, vt Deum sine corporali imagine contempletur, sine praua cognitione diligat, & intra se ipsam iugiter æternum regem inspiciens, adoret, & colat illum in spiritu & veritate. Hæc omnia dona Dei, & alia innumerabilia in hoc vite spiritualis gradu animæ conceduntur, non semper omnia, sed nunc ista, nunc illa, quæ Dominum adorans, & silens prætereo. ne in res mihi vix auditas, & non experientia cognitatas, sed in sanctorum voluminibus lectas, insolenter irrumpam. Hunc certè gradum sanctus propheta suspirabat cum pennis colubæ desposcebat, vt volaret, & requiesceret, cum diuinam familiaritatem sitiens dicebat: Sitiuit anima mea ad Deum fortem vitium, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.] Hic & Abacuc cupiebat, illis verbis: Ingrediatui putredo in ossibus meis, & subter me scaeat, vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum.] Ego diem tribulationis, omnem hanc vitam mortalem intelligo, in qua tranquillitatem habeo, cum inter populum accinctum, id est, inter vitos orationi deditos, & ad omnia bona expeditos requiesco. Hic denique sequas Psalmus denotat, dum regius vates de profundis suæ vilitatis clamat, suam orationem exaudiri postulat, & aures Domini attentas ad audiendum suum desiderium exposcit.

Non tamen putandum est tantam donorum copiam, & bonorum magnitudinem animæ attribui, vt in illis tanquam in fine sui cursus conquiescat, sed tunc, vt prædicta mortificationis, ac virtutum opera suauiter perferat, tum vt in quatuor sequentes gradus venire

Iacob. 1. 4.

Psal. 43. abac. 3. 16.

Psal. 129. 1.

contendat. Secundus itaque est, si in otio orationis, aut in labore occupationis anima consolatione non querat, suauitatem non cupiat, commodum, honorem, aut aliud creatum non exoptet, sed soli Deo placere desideret. Hoc autem diuinum beneplacitum, non solum in statu vite, sed in singulis, que agit, aut cogitat; non tantum intentione communi sed affectu quodam peculiari, ex quo singula actiones procedant, sincerissime inquirat. Quem gradum tunc assequitur, cum ad orationem, & actionem, ad laborem & requiem, ad sumptionem cibi, & castigationem corporis, ad honorem admittendum, & ignominiam sustinendam: & breuiter, ad quidais aliud gratum, vel aduersum, solo actuali desiderio diuinæ gratiæ permouetur. Ita scilicet, vt cum silet, & loquitur; cum manducat, aut ieiunat; cum dormit, aut vigilat, dicat, & verè dicat. Domine, in hoc opere, siue iucundo, siue amaro, non me ipsum quero, sed tibi placere, & tuam exequi voluntatem exopto. Nec immeritò hunc gradum reliquis præcedentibus altiore fecimus, & post omnes illos collocauimus, quia tam mortificationis opera, & virtutis studia, quam orationis exercitia extollit, & perficit, & mentem incredibili exornat puritate. Quid enim proderit si te ipsum abstinentia conficias, flagellis dilanies, virtutum labore fatigies, & orationis dulcedine perfruaris; si te ipsum interim quæras, propriam voluntatem secteris, & Domini beneplacitum prætermittas? O quoties (inquit Richardus) ipsam veritatem, non pro veritate, sed pro vanitate quærimus, & inuentam veritatem, nõ in veritate, sed ad vanitatem diligimus, & quod miserimum est, in verbis vite ad mortis lucra negotiamur.] Ne ergo tantum detrimentum opera nostra patiantur, auulescamus oportet singula opera ad Deum per breuè orationem, & sincerissimam oblationem dirigere; illud Laurèrij Iustiniani sine obliuione seruantes. Enitendum est, vt in primordio saltem cuiuscumque operis, dirigatur oratio, & diuini suffragij imploratio. Quia sicut militem procedere ad conflictum nõ congruit, sine armorum protectione; ita neque homini Christiano absq; orationis munimine aliquid agere licet. Egre dientem igitur de hospitio, atmet oratio, regredientem de platea comitetur, cum ambulante ambulet, cum operante collaboret, ne prius corpusculum requiescat in strato, quam anima precibus reficiatur. Qui hanc sincerissimam intentionem in omnibus tenet, optime potest de se dicere; Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulauim in magnis, neque in mirabilibus super me. Illius namque cor non exaltatur, qui proprium honorem auersatur; illius oculi non efferuntur, qui gloriam humanam non cupit; ille non ambulat in magnis, neque in mirabilibus super se, qui appetit Deo placere in omnibus, & non magnus, nec mirabilis reputari. Vnde Augustinus hunc locum interpretans, ait; Nihil aliud significare nisi; Non sui superbus, nolui quasi in mirabilibus innotescere hominibus, nec quæsiui aliud supra vires meas, vnde me apud imperitos iactarem.]

Iam ad tertium gradum properandum est, quem anima tunc est adepta, quando omnia diuina obsequia, siue ad actionem, siue ad contemplationem referantur, ingenti spiritus feruore perficit, neque à diligentia, & impetu mundanorum, quo suas voluptates, suos honores, aut opes aucupantur, se superari sinit. In cæque illud Pauli apparet impletum: Qui cumque spiritu Dei aguntur, iam filij Dei sunt. Neque enim ipsa in bonis operibus iam videtur agere, aut se mouere; sed ab spiritu diuino agi, & in omne

A bonum magno impetu ferri. Hunc gradum mihi videtur expressisse Bernardus, si eius verba, non tantum de orationis stadio, sed de quouis bono opere intelligantur. Alij (inquit) trahuntur, qui possunt dicere: Trahe me post te. Alij dicuntur, qui dicunt: Introduce me rex in cellaria tua. Alij rapiuntur, sicut Apostolus raptus est ad tertium cælum. Et primi quidem felices, qui in patientia sua possident animas suas. Secundi feliciores, quia ex voluntate sua confitetur ei. Tertij felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia, quasi quodam modo sepulta iam arbitrij sui potestate, in diuitias gloriæ, in spiritu ardoris rapiuntur, nescientes, siue in corpore, siue extra corpus, hoc solum scientes, quod rapti sunt. Qui itaque ad bonum rapiuntur, & ad voluntatem diuinam implendam ingenti spiritus feruore raptantur, hunc tertium perfectorum profectum, Deo dante, susceperunt. Quem Seraphim ille terrestris, aut homo verè cælestis Franciscus, post impressa sibi Christi vulnera, in se ipso nobis representabat, cum ad suos ita dicebat. Incipiamus, fratres, seruire Domino Deo nostro, quia vsque nunc parum profecimus. Et tunc (vt inquit eius filius Bonauentura) flagrabat desiderio magno ad humilitatis redire primordia, vt leprosis, sicut à principio ministraret, corpusque iam præ labore collapsum reuocaret ad pristinam seruitutem. Proponebat Christo duce, se facturum ingentia, & fatiscens membris, spiritu fortis, & feruidus, nouo sperabat certamine de hoste triumphu. Neque enim languor, vel desidia locum habet, vbi amoris stimulus semper ad maiora perurget. Tanta autem in eo carnis ad spiritum erat cõcordia, tanta obedientiæ promptitudo, quod cum ille ad omnem nitetur sanctitate pertingere, ipsa non solum non repugnaret, sed præcurrere nitetur. O verè beatus vir, qui post tot labores, tanto spiritus feruore incitabatur, vt suo Domino deseruaret. Et, ô infelices nos, qui cum nondum viam spiritus ceperimus, iam vacationem à laboribus querimus, & in itineris initio lassescimus. Illorum, qui ad hunc gradum peruenerunt, vox est. Memento, Domine, David, spiritualis scilicet viri, & omnis mansuetudinis eius, qua in aduersis etiam tibi subicitur.

D Memento, inquam, eius, vt vota sua impleat, & desideria concepta perficiat, quæ omnia in tuum obsequium referuntur. Nam ita intus totæ gloriæ desiderio succenditur; ita appetitu proficiendi inflammatur, vt sæpe magna firmitate statuat, se numquam ingressurum in tabernaculum domus suæ, neque ascensurum in lectum stratus sui, donec inueniat locum tibi Domino, & tabernaculum Deo Iacob.

Ex hoc tertio feruoris gradu ad quartum enitendum est peruenire, qui sine dubio est multò præstantior. Hic autem gradus est, perfecta in diuino beneplacito (vt vocant) resignatio, & sincerissima in omnibus cum Dei voluntate concordia. Quem ille iam tenet, qui magna præstare volens, nec valens, aut corporis imbecillitate pressus, aut occupationum mole oneratus, aut obligatione status impeditus; & videns hoc esse à diuina voluntate dispositum, sua manet in infirmitate quietus, sua impossibilitate cõtentus. Vellet quidem cum martyribus mille tormenta, & acerbissimas mortes perferre, cum Apostolicis viris vniuersum peragere orbem, & omnes nationes barbaras ad Christum adducere. Cum cõfessoribus, corpusculum perpetua inedia, & afflictatione domare, & flagrorum, ac aliarum asperitatum acerbitate cõficere. Cum virginibus pugnas demomonum sustinere, & grauissimas tærationes superare. Vellet semper Deum cogitare, cælestia meditari,

Ber. ser. 3. de ascensione.

Bonauent. in vita, c. 14.

Psal. 31. 1.

Richard. de erud. in sermo. hom. 6. 3.

Laur. Ia.

Psal. 130. 1.

Aug. com. in psalm. 130.

Roma. 8. 14.



amore sui creatoris inflammari, & nec cum hominibus conuersari, nec res creatas videre, nullam salutis, aut vitæ corporalis curam habere, neque corporis necessitatibus deseruire. Et tamen propriæ imbecillitati se accommodat, communibus religionis occupationibus vacat, hominum colloquia necessaria, aut vtilia admittit, negotia suæ vocationis, aut instituti non abhorret, diuina deserit, à celestibus, & supernis descendit, manducat, bibit, dormit, & intermissione vacat, vt corporis incolumitati cõsulat, & sanitatem conseruet, quia istam esse Domini voluntatem aduertit. Vellet tandem, & summè optaret ob gloriam Dei, magnus esse cum magnis, & vitam omnino cœlestem agere: sed quia videt aliam esse dispositionem Domini, sustinet libenter paruulus esse cum paruulis, & illis ingentibus domis careere, ad quæ aspirauerat, & mente conceperat. Hoc est non tantum voce, sed corde quoque; & vita dicere: *Fiat voluntas tua*] qua nulla est maior, nec perfectior oratio. Nam hoc dicere, nihil aliud est, (vt ait Cassianus) quàm, vt sint homines similes angelis, & sicut voluntas Dei ab illis impletur in cœlo; ita etiã hi, qui in terra sunt, non suam, sed eius vniuersi faciant voluntatem.] Qui verò istam adepti sunt in omnibus prosperis, & aduersis, cum diuina voluntate concordiam, illius versuculi dulcedinem experiri: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.] Qui namque sunt isti fratres, nisi Christus, & iustus? (neque enim erubuit nos fratres vocare, ille qui noster est, & creator & Dominus) sed in vnum Christus, & iustus habitant, quando iustus Christi voluntati plenè subiectus, nihil aliud appetit, nihil quærit, nisi quod in suum bonum ille disposuit.

Tandè anima his omnibus lotionibus incipientium purificata; his proficientium indumentis ornata; his ditata perfectorum monilibus, meretur ad postremum, & quindecimum vitæ spiritualis gradum peruenire: vt scilicet vnus spiritus cum Deo facta, cum semper intra seipsam præsentem habeat, illiq; sine intermissione, intellectu, & affectu cohereat. Et quemadmodum oculis creata lustrates, in omnibus lucem vident, quasi vniuersis rebus adharètem, eisque vt videantur tributentem, ita anima perfecta in omnibus, quæ videt oculis, quæ audit auribus, quæ manibus perficit, aut cogitatione pertractat, illam diuinam lucem, aut fontem omnis luminis intuetur, illum adorat, & veneratur, illum intimè diligit, què omnium vitam & pulchritudinem esse cognoscit. Tunc neque pulchritudine creaturarû allicitur, neque horrore, & fœditate turbatur, quia in illis non tam illas, quàm creatorem aduertit, cuius cõspectu inescata nullius rei amore, vel odio distrahitur. Qui hunc gradum est assequutus, intelliget illud Salomonis: Sapientis oculi in capite eius; stultus in tenebris ambulat.] Et rursus illud: Ego os regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei: Ne festines recedere à facie eius.] Os enim regis obseruare est, semper oculos mentis in Dei vultum intendere. Et habere in capite oculos, est, considerationem nostram in Christum caput nostrum defigere. Vnde Gregorius: Oculi sapientis in capite eius: quia videlicet sapiens quisque illum tota intentione considerat, cuius se membrum esse per fidem pensat.] Et ad hanc perfectionem quærendam, & exoptandam vltimus Psalmus gradualis inuitat, dum ait: Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini. Qui statis in domo Domini, in atris domus Dei nostri: in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.] Illud enim nunc, in quo benedicendus

A est Dominus, tota hæc vita est, statera momento comparata: Et illæ noctes in quibus manus in sancta sunt extollendæ, dies nostri sunt propter fidei obscuritatem noctes appellati; quas noctes, qui in iugi Domini memoria, & amore occupauerit, illam cõsequetur benedictionem, quam versuculus postremus promittit: Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum, & terram.]

B Hi sunt gradus vitæ spiritualis, & felicissimi nos, si omnes conscenderimus, quoniam beatus homo, ô Domine, cuius est auxilium abs te, non ob aliam profectõ rationem, nisi quia ascensiones posuit in corde suo. Sed nos infelices, imò etiam beati, si ascendere nitimur, & in hoc labore, atque conatu vitam impendimus. Tunc namque iure optimo viri spirituales appellabimur, quia non vitam carnis sequimur, sed ad vitam spiritus aspiramus. Quamuis enim (vt inquit Leo Papa) spe salui facti sumus, & corruptibilem adhuc carnem, mortalẽque gestemus; rectè tamen dicimur in carne non esse, si carnales nobis non dominentur affectus, & meritò eius rei deponimus nuncupationem, cuius nõ sequimur voluntatem.] Tunc vitam agimus nostro statu minimè indignam, quia illas scilicet curamus ascendere, & ad illum finem peruenire, cuius gratia religionem ingressi sumus, & mundum reliquimus.

C *Quòd terminus vitæ spiritualis, & graduum eius est vita in perpetuum duratura.*

CAPVT XII.



VI in cõscendendis his vitæ spiritualis gradibus occupantur, & eo modo, quem diximus, suam vitam instituit, optimè sibi poterit illud Pauli de Domini benignitate arrogare in carne ambulantes, non secundum carnem militamus.] Quia non carnalia, & mundana sequuntur: sed cœlestes thesauros perfectionis inquirunt. Hi te vera manet in Christo, tamquam membra viua, à quo gratiæ abundantissimæ influxum recipiunt: Quia ambulat (vt inquit Ioãnes) sicut ille ambulauit.] Hoc quippe nihil aliud est (vt ait Prosper Regiensis Episcopus) nisi cõtemnere omnia prospera, quæ Christus contempsit, non timere aduersa, quæ pertulit, libenter facere, quæ fecit; fieri docere, quæ docuit; sperare, quæ promisit; & sequi, quò ipse præcessit.] Sequi autem Dominum, quò ipse præcessit, nihil aliud est, nisi nos huius vitæ spiritualis præsidio illam beatã promereri vitam, cuius gratia conditi sumus. Nam spiritualis vita profectõ via est ad perpetuam vitã, cuius viã Dominus ipse dignatur esse imperator & ductor. Ob quod beneficium propheta regius gratias agit ex intimo cordis affectu. cum ita ait: Notas mihi fecisti vias vitæ.] Has enim esse vitæ spiritualis vias, quas nobis Dominus demonstrauit, Ambrosius in hunc modum expressit. Notas mihi fecit vias vitæ. cum me docuit fidem, misericordiam, iustitiam, castitatem. his enim peruenitur itineribus ad salutem. Et licet nos in resolutione corporum mortis vmbra circundet, tamen gressus suos vita nõ deserit; sed inter ipsas medias inferni leges, incunctatè Christi virtutibus ambulamus.

E Vitæ ergo spiritualis actiones, viæ sũt illius vitæ, quem speramus, quia non nisi viuendo spiritualiter ad illam felicem vitam peruenimus. Et vt has vitæ

Matth. 6
10.
Cassian.
col. 9. cap.
19.

Psal. 132.
1.

Eccles. 2.
14.
Eccles. 8. 2.

Greg. 16.
mor. c. 3.

Psal. 133.
1.

Psal. 83.
6.

Leo ser. 1.
de resur.
rectione.

2. Cor. 10.
3.

1. Ioan. 2.
6.

Prosp. 2.
de vita
contemp.
c. 21.

Psal. 135.
19.
Amb. ser.
74. in nar.
tali martyrum.

vias disceremus; Apostoli, & alij Sancti, & viri perfecti, mundo dati sunt, qui tamquam sapientes magistri eas opere, & doctrina monstrarent. Ne autem nos qui in cœnobiiis vivimus, aut harum viarum multitudinem, aut itineris longitudine lassaremur; eas ad tres breves, & faciles reuocatur, quibus tota spiritalis vita comprehenditur: nimirum, ad cultum Dei; adificationem proximi; & ordinationem sui. Et qui has tres semitas gressibus animæ fuerit emens, & in eis vsque ad mortem ambulare periterit, absque dubio à morte perueniet ad vitam. Arbitror autem (inquit Bernardus) quoddam tu, qui in congregatione es, bene viuus, si vitijs ordinabiliter, sociabiliter, & humiliter: ordinabiliter tibi; sociabiliter proximo; humiliter Deo. Ordinariliter, vt in omni conseruatione tua, sollicitus sis obseruare vias tuas, & in cœspectu Domini, & in conspectu proximi cauens, & tibi à peccato, & illi à scandalo. Sociabiliter, vt studeas amari, & amare, blandum te, & affabilem exhibere: supportare non solum patienter, sed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum, quam corporum. Humiliter, vt cum hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exufflare, qui ex huiusmodi nasci solet: & quantumcumque illi senseris, negare omnino consensum. Istas tres vias, quæ omnem spiritualem vitam amplectuntur, & vniuersas virtutes comprehendunt, non inaniter ambulamus, quia finis illarum vita est sine fine duratura. Tu autem homo Dei (inquit Paulus) hæc fuge, id est, cupiditatem rerum terrenarum, omnium malorum fontem, atque radicem; sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem: Certa bonum certamen fidei. Et ne putes nullum præmium huius esse certaminis: Nā apprehendes vitam æternā, in qua vocatus es. Qui enim ad vitam spiritualem vocatur, non ad aliud, quā ad vitam æternā vocatur: nam hæc illius est fructus & pretium. Quis plantat vineam (ait idem Paulus) & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Et iterum: Quoniam debet in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si ista occupationes temporales, suis emolumentis non carent, quis adeo despiciet, vt credat spiritalia opera, & virtutum studia fructu, & emolumento carere?

Habent quidem fructum non vtilem, sed pretiosum non temporalem tantum, sed æternum. Et merito dixi non temporalem tantum: quoniam, & æternum habent, & non destituuntur temporali. Quod Dominus (cuius verba fidelissima sunt) per Malachiam, non obscure promissit. Impij namque hoc spiritalis vitæ præmium abnegantes, ita clamabāt. Vanus est, qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes corā Domino exercituum? Et non cōtenti virtutem eleuare, & sanctis operibus detrahere, & à bona vitæ præmium auferre, etiam malis, ac impuris operibus virtutis mercedem tribuunt. Ergo nunc (aiunt) beatos dicemus arrogantes, si quidem adificati, id est, ditati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, ac peccatis prouocauerunt, & salui facti sunt. At Dominus quid dicit? Et erunt mihi in die: quia ego facio in peculium in die scilicet, quia impijs delictorum penas, & iustis bonorum operum stipendia decerno: & parcam eis, sicut parcat vir filio suo seruienti sibi. Ecce præmium æternum. Et conuertimini, & videbitis, quid sit inter iustum, & impium, & inter seruientem Deo, & non seruientem ei. Ecce præmium temporale. Nam qui impietatem fugies, perfectam virtutem sectatur, &

A vitæ spiritalis gradus ascendere nititur, tantam experitur tranquillitatem, tanta luce perfunditur, tanto gaudio, ac lætitia exhilaratur, tanta reuerentia ab hominibus afficitur, tanta cura ab Angelis protegitur, tanta benignitate à Domino honoratur, vt plane cognoscat, & vel ipsis oculis videat, iustis etiam in hac vitæ præmia abundantissima esse promissa, & mercedem copiosissimam illis concedi.

Hæc igitur vitæ spiritalis est vita vera, vitæ læta, & honorabilis, vitæ in quibus desiderijs suscipienda, cuius principium non est natura, sed gratia, cuius finis non est corruptio, sed gloria, cuius opus non est mercede vacuum, sed præmijs cœlestibus plenum. Hæc vita est, quam religionem ingredientibus quæsumimus, & felices nos, si iam illam inuenimus. Sicut enim mercator pergit ad nundinas, vt opes augeat, & suas possessiones amplificet, & ignarus frequentat scholas, vt literarum peritus euadat, & scientiam addiscat, nec non & ambitiosus principum adit domos, atque palatia, vt splendorem, ac dignitatem acquirat: ita religionem intrauimus, & in cœtum nos virorum spiritalium recepimus, vt vitam hanc spiritualem à rebus terrenis auulsam, & virtutibus cœlestibus inhaerentem assequeremur. Ne ergo frustra mundum reliquerimus, ne laborem nostrum perdamus, ne sine, quem nobis proposueramus, priuemur, sed gnauiter pro hac spiritali vitæ, ac pro eius perfectione pugnemus. Si honorem cupiebas, o religiose, qui ista legis, si prælationem, aut dignitatem optabas, satius tibi fuisset in sæculo commu-

C nere, academias sequi, Pontificis summi, aut alicuius principis læcularis curiam frequentare, vt dignitatem aliquam, saltem vsque ad mortem duraturam obtineres: sed in schola humilitatis, ad quid infelix dignitatem concupiscis, quam elapsis tribus, aut quatuor annis successori relinquis, & nihil aliud eius functione, nisi fratres tibi auersos, & fortassis in hostes, & inimicos conuersos acquiris? si delicias quærebas, cur non uxorem duxisti, & eum statum amplexus es, in quo carnis delectationes licent, in quo filiorum lusus, famulorum obsequia, amicorum, & consanguineorum commercia, & honorum possessio aliquam voluptatem patiunt sed in domo penitentia, quomodo inane delicias perfrueris, quas prælati negant, seniores amandant, fratres fugiunt, tyrones reiciunt, & ipse status religiosus detestatur? si argenti, & auri, pretiosarumque vestium, & amplexus suppellectilis desiderio flagrabas, quare, o insipiens, tua bona multa, aut pauca reliquisti, quæ labore, & industria posses augere? Quare facultatem possidendi deseruisti, sine qua non licet tanta superflua recondere, tanta pretiosa habere, tanta curiosa, & pulchra possidere? Ad quid properasti in vitæ religiose desertum, in quo rerum temporalium acquisitione est laboriosa & conseruatio difficilis, quia illas prælatus, & potest, & debet à cellulis pauperum remouere? Si denique requiem corporis, & otiositatem amabas, & propriæ voluntatis amore tenebaris cur, stulte, ad militiam venisti, ad bellum processisti, alterius voluntati te subiecisti, qui animæ tuæ rationem redditurus, non potest otiositatem permittere, neque in te propriam voluntatem, omnium virtutum pestem, sustinere? Ne igitur his cœcitatibus cœturberis, his ignorantijs impliceris, ne tot periculis perdendi animam exponaris, honores fuge, voluptates despice, opes contemne, otiositatem caue, & vitam arripe spiritualem tuo statui debitam, & tuæ uocationis propriam, cuius præsidio summum honorem, infinitam voluptatem, incomparabiles diuitias, & incomprehensibilem requiem, quæ in Dei

adeptione.

Climac.
gradu 1.

adeptione, consistit, assequeris. Et ne putes te verum esse religiosum, nisi hæc quæ diximus fugiens, quotidianæ operi, virtute, a virtuti, & feruorem feruori adiciere studeas. Ut enim verissime dixit Ioannes Climacus Ille est fidelis, & prudens monachus, qui feruorem suum seruauit inextinguibilem, & in

dies vsque ad finem vitæ suæ, ignem igni adiciere, feruorem feruori, desiderium desiderio, ac studium studio numquam desinit. Si huius spiritualis occupationis obliuisceris, & rebus sæcularibus & prophanis inhæres, te ipsum lædis, & falsi religiosi, & viri spiritualis nomen vsurpas.



PARS SECVNDA

De Triplici vita spirituali sacris literis adumbrata.

Priusquam tres vitas spirituales tranſcendendas aggrediar, visum est mihi plures earum imagines sacris literis contentas præmittere, & mysticis expositionibus illustrare quæ ad sequentem tractationem ianuam aperiant. Res aliquantulum curiosa est sed non inutilis, neque à desiderio virorum spiritualium aliena, in qua sub historiarum Sanctarum inuolueris intelligent, quod diuersi Ecclesiæ status, ac professiones contineant.

De triplici vita spirituali, actiua, contemplatiua, & mixta.

CAPVT XIII.



Vi vitam spiritualem profitentur, cuius naturam, gradusque descripsimus; tribus modis creatori famulari, & in cœlestem patriam præparare festinant. Aut enim in externis se exercet actionibus, aut internis animi studiis occupantur; aut simul exteriora virtutum opera, & interiores functiones mentis, tota auiditate suscipiunt. Horum viuendi modorum quodam loco meminit Augustinus, in hunc modum scribens: In tribus quoque illis vitæ generibus, vno scilicet non segniter, sed in contemplatione, vel inquisitione veritatis otioso, altero in gerendis rebus humanis negotioso, tertio ex utroque genere temperato: Cum quaeritur quid horum sit potius eligendum, non finis boni habet controuersiam, sed quid horum trium difficultatem, vel facilitatem afferat, ad consequendum, vel retinendum finem boni in ista questione versatur. Et rursus alio loco: Ex tribus verò illis vitæ generibus, otioso, actiuo, & ex utroque composito, quamuis salua fide, quisque possit in quolibet eorum vitæ ducere, & ad sempiterna præmia peruenire; interest tamen quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impedit. Ex his ergo tribus bene, studiosèque viuendi rationibus, tres sunt vitæ spirituales exortæ: actiua, contemplatiua, & mixta. sub studiosa, atque spirituali vita contentæ. Actiua (vt eas breuiter exponamus) est, quæ externas virtutis occupationes tractat. Contemplatiua, quæ contemplationi diuinorum intendit: Mixta, quæ neque actione sola, neque contemplatione contenta in utroque studio pari cura, ac diligentia versatur.

Harum trium vitarum, actiua videtur secundior: contemplatiua formosior: mixta felicior. Prima est laboriosior: secunda quietior: tertia robustior. Altera vtilior: altera iucundior: tertia præstantior. Denique in actiua incipimus: in contemplatiua proficimus: in mixta perficimur, atque consummamur. Et omnis, qui perpetuam felicitatem assequi cupit in aliquo huius triplicis vitæ debet studio occupari;

A vt scilicet vel bona actio eum teneat, vel contemplatio distineat, vel actionis, contemplationisque vicissitudo deleat. Quare volentibus cum Mose, & veris Israëlitis tenebras Egypti, id est, peccata deserere, & in terram viuentium iustis promissam conuolare, illud Exodi est sine vlla cunctatione dicendum. Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt in molemus Domino Deo nostro. Via trium dierum illis consocienda est, vt nimirum ingrediantur virtutis actionem, vel veritatis contemplationem, vel tam actionis, quam contemplationis studium, atque laborem. Aliqua namque istarum viarum necessaria est, vt quis possit, vel ab Egypto peccatorum discedere, vel ad præmium æternum peruenire. Et ideo etiam Angelus apud Ezechielem mensus est latitudinem portæ templi trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde, quia videlicet cœlestem patriam, non nisi per sanctæ Trinitatis fidem ingredimur, & per tres istas vitas, tamquam per portam trium cubitorum intramus. Tertia quoque pars terræ in Apocalypsi comburitur, & tertia pars arborum concrematur, & duæ partes Domino illæ servantur, quia nimirum actiui, & contemplatiui, (atque aded ex utraque vita compositi, qui non debent ab illis merito & actione secerni) in sorte Domini ponendi sunt: Qui verò nullam istarum vitarum exercet, in parte Diaboli numerandi. Vnde magnus cōtemplator Richardus: Duæ hominum partes (ait) sunt Dei, actiui scilicet, & contemplatiui, imperfecti, & perfecti, minores, & maiores. Istas duas partes Deus sibi assumit, quia pusillus cum maioribus benedixit. Tertia pars, quæ est malorum, Diabolo relicta est, & fracta gradine, & igne commixta in sanguine, duabus, quæ Dei sunt, illis permanentibus, combusta est. Itaque sicentes in vitam beatam conscendere, quicumque illi sint, siue religiosi, siue sæculares, debet aut actiones virtutum exteriores colere, aut cōtemplationis iter arripere, aut simul vtrumque opus in vnam viuendi rationem copulare, quia in istis viuendi modis, solum, vel in aliquo illorum Domini mandata seruantur, & extra illos, nullo pacto valet quisquam, aut diuinam legem seruare, aut Prælatorum scita custodire. Qui autem præcepta Domini, & Ecclesiæ, ac Prælatorum, qui eius personam agunt, mandata nõ

seruat,

Aug. 19.
de ciuita.
c. 2.

Ibi. c. 19.

Exod. 3.
18.Ezechiel.
40. 48.Apocal. 8.
7.Richard. 3. in Apo.
cal. c. 2.